


VITARUM
ITALORUM
DOCTRINA EXCELLENTIUM
QUI SÆCULO XVIII. FLORUERUNT

DECAS I.

AUCTORE

ANGELO FABRONIO



Praecep. Rhet. Florentini S.J.

ROMÆ MDCCLXVI.

EXCUDEBAT KOMAREK, APUD PAULUM GIUNCHI PROVISOREM LIBRORUM BIBLIOTHECÆ VATICANÆ, IN TYPOGRAPHIO S. MICHAELIS AD RIPAM.

SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.



PETRO LEOPOLDO
REGIO PRINCIPI
HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ
ARCHIDUCI AUSTRIÆ
MAGNO ETRURIÆ DUCI
ETC. ETC. ETC.

ANGELUS FABRONIUS.



Emoria fortasse tenes, Celsissime Princeps Regie, quo primum tempore ad Etruriæ gubernacula accessisti, sum-

mis me a Te precibus contendiſſe, ut ſineres ampliſſimo Tuo nomini inſcriptum in lucem exire primum volumen, quod a me lucubratum eſt de vitis Italorum doctrina excellentium, qui aut noſtra, aut patrum ætate floruerunt. Ego certe memoria proſequar ſempiterna, quam benigne me exceperis, quam comiter Te meo deſiderio ſatisfacere velle dixeris, & quam humaniter gratum acceptumque habueris munuſculum, quod Tibi eodem tempore obtuli Dialogorum Phocionis, qui a me ex Gallico ſermone in Italicum converſi ſunt. Quare autem maxime

exo-

exoptaverim, ut mihi permitteretur Regio Tuo nomine meum hoc vitarum volumen ornandi., hæc cauſſa eſt , quod exiſtimavi poſſe hac ratione fieri, ut Tibi & ceteris hominibus teſtificarer ſingularem erga Te meam obſervantiam , utque a Te omnibus ornamentis ſpectatiſſimo Principe aliquam gratiam inirem . Nam etſi magna eſt Tibi a Deo regendorum populorum impoſita moles , quam ſumma cum illorum utilitate , nec Tua minori cum laude ſuſtines , ita tamen colis Litterarum ſtudia , ut quotidie ſoleas gravibus defatigatus laboribus ac moleſtiis in ea , tan-

quam in amœnissimum hortum, divertere. Jure igitur maximam in spem erigor, non ingratum Tibi fore libellum hunc meum, quem cum leges magnum in Te accendetur desiderium, ut per Te reviviscant illa doctrinæ lumina, quorum imagines, tenui licet penicillo, majori tamen quo potui studio, exprimendas curavi. Nihil est præclarum, nihil illustre, nihil amplum, quod a Te non expectari debeat; nec dubitare aliquis potest, quin, Te ad Etruriæ clavum sedente, honestissimarum omnium artium ac doctrinarum studia futura sint summa in dignitate

atque honore . Hæc quidem erunt ad nominis Tui famam præclara, eaque illustriora quoque fient commendatione Pietatis in Deum , quæ in Te excellit quasi princeps & regina quædam omnium Tuarum virtutum. Etenim cum omnes virtutes habeant quoddam commune vinculum & quasi cognationem inter se , nulla est tamen quæ æque universas colligat ac complectatur , & singulis dignitatem ac splendorem impertiat , atque Pietas . Ex quo Pietatis fonte nascitur in Te, ut de multis pauca commemorem , continuum illud studium , ut commoditati pro-

ſperitatique ſubjectorum Tibi populorum conſulas; nihil ut agas, aut cogites, quod a recta conſcientia, ne tranſverſum quidem unguem, diſcedat; utque Te homines intuentes, tanquam exemplar aliquod pudoris, innocentiæ, religionis ac liberalitatis intueantur. Sic viam virtutis terens, CELSISSIME PRINCEPS REGIE, hanc, inquam, viam ſignatam & impreſſam veſtigiis Parentum ac Majorum Tuorum, brevi per eam pervenies ad nominis immortalitatem.

PRÆFATIO

AD LECTOREM.

QVanquam non multa habeam de quibus te admonendum putem, crudite Lector, non tamen sinam absque ullo Præfationis ornamento librum hunc meum in publicum prodire, quoniam hoc est in more positum, ut quemadmodum ædibus & templis vestibula & aditus, sic libris præfationes præponantur. Quod vitas perscribam Italorum doctrina excellentium, qui sæculo XVIII. *floruerunt, res profecto laude digna videbitur consideranti multum id conducere ad amplificandam Italiæ gloriam, & ad excitandam præclaris exemplis posteritatem, ne ab eximia contestataque patrum, majorumque laude degeneret. Vtinam & vita & vires suppetant ad hoc arduum magnumque opus conficiendum. Mihi certe in labore perferendo industria non deerit, nec in me accuratior diligentia desiderabitur; & quo facilius institutæ rei exitum expediam, homines doctos urgere non cessabo, ut aliquid mihi opis auxiliique ferant. Itaque nullum erit operis hujusce mei volumen, quod non comprehendat unam*

aut

aut alteram vitam aliena manu ſcriptam ; ad quod conſilium illa quoque me cogitatio adduxit, ut Lectores, ſi forte defatigabuntur lectione eorum, quæ ego exaravi, habeant in quo tanquam in peropportuno diverſorio, conquieſcant. Retuli igitur primum in hoc volumen vitas Dominici Guglielminii, & Antonii Mariæ Valſalvæ, quas vir doctrina ſummus, mihique amiciſſimus Joannes Baptiſta Morgagnius diligentiſſime elegantiſſimeque elucubravit, ut ſatis amori ſuo ac pietati faceret. Vtrumque enim familiariſſimum, Valſalvam etiam in Anatome præceptorem habuit. Arbitratus ſum deſideratum fortaſſe aliquem, ut, quoniam Guglielminius multa reliquit ingenii monumenta, ejus vitæ index adjungeretur, ex quo uno fere aſpectu perſpici poſſet, quos libros, quibus temporibus, cujuſque pretii is in vulgus ediderit, quod quidem præſtiti majori qua potui diligentia. Quod autem in his vitis conſcribendis nullum ſervem ordinem aut locorum, aut temporum, ſed eas contexam, quas primas aut caſus, aut opportunitas offerat, contextas vero ſic edam, ut intra terminos uniuſcujuſque Decadis, aut Voluminis eam diſponendarum vitarum

rum

rum rationem sequar, quam affert ordo litterarum, quæ sunt initia cognominum, scias ex sententia sapientissimorum hominum id a me susceptum esse consilii, quod plenum esse prudentiæ facile per te intelliges. Nec una me movit caussa, quare non prætermittendas esse duxerim epistolas, quibus clarissimos viros rogavi, ut judicarent, cognoscerent, statuerent de vitis illorum Scriptorum, quos habuere conjunctissimos, illa in primis, ut hoc extaret diligentiæ meæ signum, quod non mediocris esse momenti duxi ad veritatem obtinendam. Porro summus in me veritatis amor fuit, semperque erit, quapropter etsi natura sim propensior ad laudandum, non tamen, quoties res postulare videbitur, reprehensoris personam suscipere recusabo; verum hanc sic tuebor, ut absit a reprehensione asperitas, & liberior illa hujus sæculi licentia, quæ falso ingenuitatis nomine obtegitur. Neque puto a me exactum iri, ut de omnibus libris, quos narro, exponam sententiam meam. Narratorem enim magis me esse volo, quam judicem, & odi semper illorum hominum arrogantiam, qui quasi pro tribunali sedentes de omni re temere pronun-

nuntiant. Equidem non deero quominus in medium sæpe afferam judicia hominum intelligentium, quorum sententiæ multo stari malo quam meæ. Cumque in contexenda Lancisii vita acciderit, ut in manus meas pervenerint quatuor volumina epistolarum ad eum missarum, quæ magnam horum judiciorum copiam suppeditabant, faciendum mihi putavi, ut illustriora seligerem, deque iis quasi quandam vitæ appendiculam componerem. Audio esse quosdam, qui me accusant, quod aliquando scribam ea, quæ alii. Quid, quæso, hoc reprehensionis est? Scripsit Polybius quæ Romani sua majorumque memoria, Livius quæ ille, Dionysius Halicarnasseus quæ Livius, & sic consequentium Historicorum plerique. Cornelius quoque Nepos, ut ipse fassus est, nil aliud egit, nisi ut uno volumine vitas excellentium virorum complurium concluderet, quas separatim multis millibus versuum complures scriptores ante eum explicarunt. Hæc satis multa essent æquis hominibus. Sed quoniam cum inquis nobis res est, hoc quoque addam; quoties eveniet, ut vitas perscribam, quas alii ante me scripserunt, me profecto effecturum, ut sive

re-

rerum prolatio, ſive diſpoſitio, ſive dicendi genus ſpectari velit, nihil tam abſit a vero, quam me actum egiſſe. Reſtat, ut iis quoque reſpondeam, qui me accuſant, quod ſimpliciter nimis, & ſine quibuſdam floſculis, & ſententiarum aculeis has vitas explicem. Illi quidem ignorare oſtendunt, nihil me magis velle quam perſequi veſtigia Cornelii Nepotis, Cæſaris, aliorumque antiquitatis ſcriptorum, qui nudi ſunt, recti, venuſti, omnique ornatu orationis, tanquam veſte ſpoliati. Hos ſi ſecutus eſſe judicabor, videant parum cauti cenſores, ne in mè reprehendant, quod illis ſcriptoribus laudi datum eſt, hodieque & ſemper penes cordatos viros iiſdem erit maximæ gloriæ. Vale, fruere, ac fave, erudite Lector, brevique ſecundum vitarum Volumen expecta.

I M-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Dom. Jordani Arch. Nicom. Viceſg.

APPROBATIO

LIbrum cui titulus = *Vitarum Italorum doctrina excellentium qui ſæculo* XVIII. *floruerunt Decas* I. *auctore Angelo Fabronio* = juſſu Rmi P. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri legi ſumma cum voluptate. In eruditiſſimo diligentiſſimoque Scriptore nihil offendi, quod Chriſtianæ pietati aut moribus adverſetur. Omnia e contrario mihi viſa ſunt ſcite, ingenioſeque explicata, atque ad ſeveriores Hiſtoriæ leges exacta. Tanta vero eſt ſuavitas orationis ad Scriptores Latinorum principes conformata, ut non adſcita, ſed nativa quædam ubique appareat dicendi venuſtas et elegantia. Itaque opus digniſſimum cenſeo, quod publicam lucem adſpiciat ad Italiæ quoque noſtræ ornamentum; ne quis, ut eſt apud Plinium, noſtrorum temporum ingenia deſpiciat, et naturam quaſi laſſam et effœtam putet, ut jam laudabile nihil pariat. Dabam in Collegio Nazareno tertio Nonas Sextiles an. 1762.

Jo. Aloyſius Bongiochius Cl. Reg. Schol. Piar. Eloquentiæ, Græcarumque Litterarum Profeſſor.

IM-

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius Sacri Palatii Apostolici Magist. Ordinis Prædicatorum.

IN-

INDEX VITARUM.

FRAN-



FRANCISCUS MARIA CARDINALIS CASINIUS.



RANCISCUS CASINIUS Aretii in perantiqua Etruriæ Urbe natus eſt III. Id. Novembris anno MDCXLVIII. Parentes habuit Carolum Caſinium & Olympiam Albergottam, utroſque nobilitate claros, qui tres filios ſuſceperunt, quorum minimus natu fuit is, de quo ſcribere exorſi ſumus. Ac de prima illius pueritia id conſtat, cum lacte nutricis ſuxiſſe in Deum ac Deiparam Virginem pietatem, quam ita, in vivis dum fuit, conſtanter retinuit, ut omnibus eſſet admirationi. Præceptorem habuit tum in ſtudiis humanitatis, tum in Philoſophia Fridericum Nomium, qui juventuti inſtituendæ publice operam dabat; quique iis temporibus, & apud illam gentem ma-

xime florebat existimatione doctrinæ: quamobrem tantum honoris ei tributum est, ut inter nobiles illius Civitatis referretur. Sed redeo ad Franciscum, cui, dici non potest, quam omnibus æqualibus suis præstare contigerit. Nam cum ingenio polleret, nec studio minus & diligentia posset, & ea quæ tradebantur, celerrime percipiebat, & quæ semel aggressus esset, constantissime persequebatur. Accedebant ad hæc mira vocis & pronuntiandi suavitas, atque oris, quæ plurimum commendat, eximia venustas. Ex quo factum est, ut Præceptori cum esset carissimus, ceteris etiam, quibuscum ei usus intercedebat, quosque habebat condiscipulos, stimulos adderet; eosque humanitate, quæ jam tum mira in puero elucebat, in sui amorem benevolentiamque facile adduceret. Postquam ephebus factus est, iis in consilium adhibitis, quos sensuum habebat suorum, actionumque moderatores, statuit e re sua fore vel maxime, si Familiæ Cappuccinorum primo quoque tempore nomen daret. Namque ceperat illum jampridem rerum humanarum contemptio; Deique numine afflatus, perfectiorem vivendi rationem sibi

ſibi ampleǰctendam eſſe decreverat. Hocce in ſtadio quid ille ſibi propoſuerit, facile eſt judicare. Namque Sodalitatem illam Cortonæ ingreſſus, in qua Franciſcus Maria eſt appellatus, non is duntaxat quid inſtituta juberent, verum altiora longe ſpectabat, quam ut ea quiſque ſuſpicere poſſet. Itaque nemo erat inter collegas, cui cognitus ille eſſet, qui ſibi non ab eo plurimum polliceretur, non ſolum in eo Inſtituti genere, quo tota pene perfectioris vitæ ratio continetur, ſed etiam in quadam bonarum artium diſciplina, atque ſcientiarum omnium præſtantiſſimarum, ad quas natus & altus videbatur. Quocirca ne diutius retardaretur ſpes, quam homines illi de ingenio Caſinii conceperant, hunc ea lege ſolvi curarunt, qua triennii ſpatium præfinitur iis, qui Familiæ nomen dederunt, antequam in ſtudiis verſari poſſint. Qua re impetrata, abſolutoque tirocinio, Caſinius Lucam miſſus eſt, traditusque in diſciplinam Bernardino ab Aretio, qui poſtea Ordinis Miniſter Generalis creatus eſt. Quantos progreſſus fecerit, ex hoc facillime intelligi poteſt, quod nondum vigeſimo quarto ætatis

anno absoluto, declaratus est Concionator & Magister. Docuit igitur in eadem Civitate Philosophiam primum, mox Theologiam, ex quo curriculo sexennio post discessit, ut munus susciperet Definitoris, ut appellant, Etruscæ Provinciæ. Hinc ad gubernacula regendorum cœnobiorum accessit, qua in re quantam laudem meruerit, hæc erunt indicio. Benevolentiam & caritatem suorum erga se non solum mansuetudine, humanitate, ceterisque hujusmodi virtutibus, verum etiam industria quadam alebat. Ita se facillime illos reddere alacres posse existimabat ad ea exequenda, quæ sunt perfectioris disciplinæ. Hæc enim ei maxime cordi erat, ad eamque singulos non minus exemplo quam dictis, excitabat. Omnes admirabantur hominem in precationibus frequentem, abjectiora quæque Ordinis munia sedulo obeuntem, sua tempora sacris studiis tribuentem, de se demisse & humiliter sentientem, humana omnia contemnentem, tenuem victum colentem, paupertatis observantissimum, atque ita compositis moribus, ut nihil temere ac fortuito, inconsiderate negligenterque unquam ageret,

deco-

decorum ſemper teneret. Cum pietate jungebat prudentiam, quæ virtus merito gubernandi ars dicitur; nec ei in ſumma comitate facilitateque deerat gravitas ac ſeveritas, ut difficile eſſet intellectu utrum eum ſui magis vererentur, an amarent. Quæ omnia quanquam erant cum aliorum fructu & utilitate conjuncta, Caſinius tamen divinæ gloriæ, ſalutiſque communis mire ſtudioſus, latiorem campum, facile Moderatoribus conſentientibus, ſibi delegit, in quo hominibus prodeſſe poſſet. Itaque eloquentiæ ſacriſque concionibus ſe totum addixit; cumque brevi in publicum prodiiſſet, ut Phidiæ ſignum, ſimul aſpectus & probatus eſt. Profecto erat ille ad hoc munus omnibus naturæ & doctrinæ præſidiis inſtructus. Nemo enim nec motu corporis, nec ipſo habitu atque forma aptior, nec lingua ſolutior, nec voce plenior aut ſuavior. Habebat ingenium ad excogitandum acutum, & ad explicandum ornandumque copioſum, & ad memoriam firmum & diuturnum. Ad quæ naturæ bona cum attuliſſet artem quandam; &, quod caput eſt, adjunxiſſet perfectam ſacrorum librorum ſcientiam, cognitio-

nemque illarum rerum, quibus continetur Dei, cæleſtiumque cauſſarum vis & natura, omniſque Chriſtianæ vitæ ratio, hauſtam non e rivulis, ſed e fontibus, hoc eſt SS. Patrum lectione, illud adeptus eſt, ut quoties audiebatur, homines non minus, quod unice ſpectabat, ad virtutis ſtudium, quam in ſui admirationem traduceret. Quapropter minime eſt mirandum ſi illuſtriores Italiæ Urbes concionando peragravit, Florentiam, Senas, Venetias, Vicetiam, Parmam, Lucam, Neapolim, Romam, cum ab omnibus depoſceretur. Non eſt hic prætereundum, virum præſtanti memoria, cum aliquando dicturus fuiſſet apud Julium Cardinalem Spinulam, quo multi Cardinales, Præſules, nobileſque viri convenerant, ita ab ea deſertum fuiſſe, ut illi penitus oratio exciderit. Qua re adeo exanimatus fuit, ut cum ad ſcriptum confugiſſet, ne id quidem aſſequi potuerit, ut illius recitatione uteretur. Cum vero & abſentibus eſſet cognitus, veniſſetque in Galliam, Germaniamque aſſecla ſui Miniſtri Generalis, quamvis juſta eſſet excuſatio nullam ſecum aſportaſſe earum, quas compoſuerat, orationum,
defu-

defugere tamen non potuit onus dicendi coram Rege & Regina Magnæ Britanniæ, qui Parisiis eo tempore commorabantur, coram Cæsare, Electoribus Palatino & Maguntino, Episcopo Augustæ Vindelicorum, aliisque Germaniæ Principibus. Atque hic tantus vir, ut in Italiam rediit, Provinciæ Etruriæ præfectus est; nec multo post, anno scilicet MDCXCVIII. Definitor & Procurator Generalis creatur. Tulit hæc ille moleste, non modo quia parendi quam imperandi longe cupidior erat, sed in primis quia ita se alligari videbat, ut Christianæ Reipublicæ in sacri Oratoris munere operam studiumque suum navare non posset. Quare multa attulit ad impetrandum, ut suffragatores alio voluntates suas transferrent: sed hæc ipsa vel maxime studia eorum incendebant, cum ad conciliandos homines nihil æque valeat atque animi moderatio ac demissio. Dedit igitur manus, cumque menses aliquot in his muneribus summa cum laude prudentiæ ac diligentiæ consumpsisset, ei inopinanti accidit, ut ab INNOCENTIO XII. factus sit Concionator Pontificius. Magnum profecto est onus atque munus dicere debere

ſacris illis Adventus & Quadrageſimæ temporibus maximis de rebus, novo ſemper modo, apud Summum Pontificem, Cardinales, Epiſcopos, alioſque multos magnæ dignitatis homines, quibus locus eſt in ſacello Pontificio. Sed hi, ut Caſinium audierunt, adeo illum ſuſpexerunt, ut neminem unquam magis ſint admirati. Quo factum eſt, ut duo Cardinales nomine Collegii gratias egerint Pontifici, quod tantum virum elegiſſet. Hic vero quo graviſſimam provinciam facilius ſuſtinere poſſet, Pontificem rogavit, ut ſe ex altero operoſo munere Procurationis totius Familiæ ſuæ expediret, planeque ſolutum relinqueret. Id ei non negavit: erat enim juſta poſtulatio; illiuſque nominatione eundem in locum ſubſtituit Bernardinum a Salutiis, qui poſtea ad ſummum Magiſtratum evectus eſt. Interim in morbum incidit INNOCENTIUS, quo cum graviter conflictaretur, ſibi adeſſe Caſinium voluit, atque apud eum totius anteactæ vitæ noxas expoſuit. INNOCENTIO ſucceſſit CLEMENS XI. apud quem non minori in honore atque auctoritate fuit Caſinius. Cujus rei quo maneret teſtificatio ſempiterna, utque debi-

debitum singularibus ejus meritis præmium persolveretur, hunc XV. Kal. Junias an. MDCCXII. in amplissimum Purpuratorum Collegium cooptavit. Neque tamen ei statim successum est in munere Concionatoris Pontificii, cum illum eundem proximo Adventu concionari jussisset CLEMENS. Summo honori fuit Casinio publica lætitia. Is vero cum intelligeret dignitatis accessione duabus quasi se indutum esse personis, Magistratus una, altera Religiosi viri, ad utramque tuendam omne suum studium curamque convertit. Itaque in omnibus iis rebus, quas cultus externus desiderat, ita decorum servavit, ut in eo non solum moderatio, sed etiam modestia appareret. De vestitu, quantum necesse fuit, de victu nihil fere mutavit, neque unquam a pristina jejunandi consuetudine discessit. Pulchrum erat videre hominem magna statura, facie decora, prolixa barba, totaque figura & forma ad dgnitatem composita, amictum illis honoris vestimentis, laneis tamen & cineracei coloris, ut ipso aspectu cuivis injiceret admirationem sui. Domum ejus qui intrassent, nullum vel minimum signum luxuriæ videre

dere poterant, contra plurima abſtinentiæ; eaque pars quam incolebat, ſic erat inſtructa, ut nulla in re differret a cujuſvis inopis, & Inſtituti ſui obſervantiſſimi hominis. Hinc ut, quantum in ſe erat, ejuſdem Inſtituti propriam paupertatem retineret, pecuniam nec tractare, nec aſpicere unquam voluit, omnia fidei Diœcetis apprime boni concredens. Utebatur enim familia, ſi utilitate judicandum eſt, optima, ſi ſpecie vix mediocri. Fuit in hac præclarum illud omnium Chriſtianarum virtutum exemplar, quem honoris cauſſa nomino, Franciſcus Tenderinius, qui cum a. MDCCXVIII. a CLEMENTE XI. factus fuiſſet Civitatis Caſtellanæ & Hortani Epiſcopus, ab hoc Caſinius non niſi ægre admodum potuit divelli. Huic enim tantum tribuebat, quantum cui plurimum. Erant Caſinio modica vectigalia, ſed frugalitate & temperantia aſſequebatur, ut haberet unde egentibus ſubvenire, & alios pios ſumptus facere poſſet, quem maximum pecuniæ fructum exiſtimabat. Porro quantopere in pauperes animatus eſſet, declaravit vox edita ab ipſo cum, ut primum in publicum prodiit, ſe circumfuſum vidiſſet a tur-

ba

ba pannoſorum, ſicuti fit, clamantium, ut ſui miſereretur. Rogavit enim ut æqui bonique facerent repulſam, ne teruncium quidem ſe habere aſſeverans; addiditque quidquid in poſterum tribueretur, ſibi fore cum ipſis commune. Ita tenebat honoris gradum, ut veſtigium in eo elati animi cerneres nullum, ſed modeſtia, facilitas & humanitas eadem, quæ in privato fuerat, integumentis honoris licet eſſe involuta, elucebat tamen, & ab omnibus agnoſcebatur. Ex quo fiebat, ut ſi quid præciperet, roganti eſſet propior quam jubenti; & nemo tam humilis eſſet, cui non ad eum aditus pateret. Nil magis optabat quam poſſe opera de multis bene promereri; cujus exemplum utinam omnes, qui gratia & auctoritate pollent, imitarentur, memores non ſibi ſolis honores eſſe datos, ſed eorum partem amicos, partem inopes homines jure optimo ſibi vindicare: & in collocandis beneficiis, non ſecus atque ille, judicium & diligentiam adhiberent: Bene enim Ennius apud Ciceronem:

Benefacta male locata malefacta arbitror.

Sed illuc revertor. Plane ad omnem humanitatem,

tem fuiſſe inſtructum Caſinium ex hoc judicare licet, quod, ſi quando præſtare non poterat illud de quo rogabatur, ita abnueret, ut nemo ab illo diſceſſerit, qui ſaltem blanda illius oratione devinctum ſe eſſe non confiteretur. Quæ dum faciebat, nemo poterat dubitare quin a benefica voluntate proficiſcerentur, cum ab eo nihil abeſſet longius oſtentatione, vanitate, omnique re, quæ vel minimum redolere ſimulationem poſſet. Decorabat hæc æquabilitas vitæ, & ille idem vultus, eademque frons, quam tantopere veteres in Socrate prædicarunt. Qui mores cum admirabili ſanctitate conjuncti, incredibile eſt quantum illi conciliarent venerationis. In Republica ita eſt verſatus, ut nihil præter ipſius Reipublicæ commodum, & Sedis Apoſtolicæ dignitatem propoſitum unquam habuerit. Qua re fiebat, ut nihil officio, nihil timori, nihil ſpei tribueret, & in ſententia dicenda conſtanter ac libere ſe gereret. Aberat tamen ab hac conſtantia pertinacia, carebatque libertas omni acerbitate; & ejuſmodi erat oratio, ut in ea ſemper ineſſet miſta gravitati modeſtia. Cum Collegæ ejus

ejus probe perſpectum haberent ſingulare ipſius ſtudium in Chriſtianam Rempublicam , & intelligentiam magis magiſque admirarentur , multum illi quidem tribuebant auctoritatis , ut ſæpe a proprio judicio diſceſſerint , quo cum illius ſuffragio conſentirent . Ita diligentiſſime omnia , quæ ſui muneris eſſent , obibat , ut nil unquam ſine graviſſima cauſſa intermiſerit , nec dubitaverit etiam cum minus belle ſe haberet , adeſſe illis cœtibus S. Officii , Propagandæ Fidei , Sacrorum Rituum , Epiſcoporum & Regularium , Indicis , ac Indulgentiarum , quibus adſcriptus erat . Ad hæc onera , quæ ceteris fere ejuſdem ordinis ſolent eſſe communia , accedebant alia extraordinaria , cum Clemens nihil eſſe putaret , quod ejus fidei & induſtriæ rectiſſime haud committi poſſet . Quantum autem in agendo dicendoque ille valeret , ſatis erit unam rem exempli gratia proferre . Nam modus adhibendus eſt , quoniam hoc volumine vitas excellentium Virorum complurium concludere conſtituimus . Erat magna contentio inter Cives Hortanos & eorum Epiſcopum , refici ne deberet Templum majus illius Civitatis , quod vitium

tium fecerat. Epiſcopus maxime nitebatur, ut primo quoque tempore opus fieret, non ſolum propter metum ruinarum, ſed & quod Deo decorum erat. Ad hoc conſilium pauci admodum accedebant, contra plurimi obſiſtebant, illud cauſſati, pecuniam in numerato non eſſe, neque quo manus porrigerent, ſuppetere. Intelligens Epiſcopus aliud tegi hujuſmodi excuſatione, nihil non molitus eſt, ut illos ad ſuam perduceret voluntatem, ſed cum id non potuiſſet, illud tandem conſilii cepit, ut rem ad Pontificem M. deferret. Hoc nuntio Pontifex commotus, jubet Caſinium Hortanum ſe conferre, ac dare operam, ut ea gens ad meliorem mentem voluntatemque converteretur. Quo ſimul ac ſe contulit Caſinius, Primores convocat, eoſque adeo ſua cepit humanitate, gravique oratione preſſit, ut nemo ab illo diſceſſerit, qui non omni cogitatione ferretur ad Ædem conſtruendam. Quo peracto, cum univerſa Civitas introiſſet in Templum ad audiendum ſolemne ſacrum, quod Caſinius erat facturus, hic ea verba in concione habuit, ut nemo fere tam inops fuerit, quin aliquid contulerit ad

opus

opus conficiendum, quasi alius populus id facere antea recusasset, non ille ipse qui tum in dando nullum modum servabat. Cæpit igitur Templum ædificari, & Casinius summa cum cæremonia primum lapidem posuit: & ut exemplo præiret, ex sua re familiari centum scutatos dedit, totidemque annuos, quoad ipse viveret, assignavit. Hujus mandati confectio jucunda quidem Casinio fuit. Nihil enim ille antiquius habebat decore domus Dei, sacrorumque Altarium. Ex quo fiebat, ut non solum necessarios, sed etiam liberales sumptus faceret in Ædes sacerdotiorum, quæ sibi commissa erant. Huic rei illud testimonio erit, quod in Sanctæ Priscæ, cujus Titulum gerebat, quotannis mille fere scutatos impendebat. Nam domum ei contiguam amplificavit, duo sacella non solum ædificavit ornavitque, sed etiam sacra supellectili, aliquoque censu locupletavit; ac demum novum sacrarium inchoavit, quod testamento jussit absolvi. Sed jam tempus est ut de morte ejus aliqua dicamus. Dederat natura Casinio firmam corporis constitutionem, sed vehementissima, quam in studiis adhibebat, animi contentio, assiduæ

duæ immoderatæque vigiliæ; voluntariæ afflictationes, longiſſima itinera, quæ pedibus ſemper fecerat, adeo illam vitiaverant, ut idem ſæpe calculorum, iſchiadis, ac dentium doloribus premeretur. Acceſſit eo, quod paucis menſibus antequam Cardinalis crearetur, cum forte ſcamnum aſcendiſſet ad ſumendum e pluteo librum, retro graviter ex eo cecidit. Quo ex caſu homo ſenex & debilitatus in febrim incidit, quam & aliæ identidem febriculæ conſecutæ ſunt, nec non graves renum dolores. Non eſt credibile quanta non dicam patientia, ſed hilaritate hæc omnia ille pertulerit, ut ne vix quidem induſtriæ ſuæ curſum interrumperet. Sed quamvis animus non frangebatur, debilitabatur tamen quotidie magis corpus, ut dyſuriæ demum ſuccumbere coactum fuerit. Sentiens Caſinius ſe jam opprimi magnitudine morbi, in quo duos menſes conſumpſit, Joannem Antonium a Florentia Procuratorem totius Familiæ Cappuccinorum ad ſe accerſiri juſſit, eique omnis anteactæ vitæ peccata aperuit. Pari modo reliquis, quæ ad religionem pertinent, rite ſancteque perſolutis, in quo ab amantiſſimo Franciſco Tenderinio, qui

per

per hos dies Romam venērat, adjutus fuit, postrid. id. Februarias a. MDCCXIX. diem suum obiit, tanta quidem constantia animi, ut beatam illam terram videre videretur, in quam tanquam in portum ex longa navigatione esset venturus. Quam omnibus esset carissimus, id erit indicio, quod ille ex hac vita migrando maximum sui desiderium reliquit. CLEMENTI vero, qui non mediocri afficiebatur vel voluptate ex consuetudine illius, vel utilitate ex consilio atque opera, tantum mœroris attulit ejus mors, ut, re nuntiata, lacrimas tenere non potuerit. In hoc quoque ille testatam voluit singularem benevolentiam suam erga Casinium, quod ei laboranti mille scutatos muneri misit, ut esset unde ipsi sumptus necessarii suppeditarentur; quos tamen hic recusavit, dicens opus sibi non esse. Admiratus Pontifex sanctimoniam & abstinentiam viri, eam ipsam summam ejus hereditati (legávit hanc Collegio Propagandæ Fidei) voluit adjungi. Ejus corpus conditum est in Ecclesia Cappuccinorum, his verbis humili sepulcro (sic enim ille. jusserat) inscriptis:

HIC JACET F. FRANCISCUS MARIA CARD.
S. PRISCÆ ORATE PRO EO.

Placuit vero ipsius amico & affini Bartholomæo Albergotto in Templo Majori Aretii eidem fieri magnificum monumentum, in quo hoc scripsit elogium:

FRANCISCO MARIAE T. S. PRISCAE S. R. E.
PRAESBYTERO CARDINALI CASINO
ORDINIS CAPUCCINORUM PATRITIO ARETINO
CAROLI HUJUS BASILICAE POST CONJUGIUM
CANONICI
ET OLIMPIAE ALBERGOTTAE LECTISSIMAE FOEMINAE
FILIO
PONTIFICII CONCIONATORIS MUNERE PER ANNOS XV.
OPTIME PERFUNCTO
ROMAE XVI. KALENDAS MARTIAS MDCCXIX.
MORTALITATEM EXUTO
AETATIS SUAE ANNO LXXI. ET VIII. POSTQUAM
PURPURA
A CLEMENTE XI. PONT. MAX. FUERAT DONATUS
UT IN AEVUM TANTI VIRI MEMORIA
PATRIA AMANTISSIMA FRUERETUR
BARTHOLOMAEUS ALBERGOTTUS JACOBI FILIUS
DIVI STEPHANI EQUES
CAENOTAPHIUM HOC
AMICO ET AFFINI B. M. P.

Et

Et huic quoque honori fuit, quod Arcadum cœtus ejus obitum carminibus deflevit. Sic enim Collegæ optime de se semper merito gratum præbere se voluit; qui cœtus etiam declaraverat quanti illum faceret, ei inscripto tertio volumine vitarum illustrium Pastorum. Eundem Petrus Olympius Franchettus e Theatinorum Familia laudavit Itala oratione, quæ Bononiæ typis impressa est. Satis de hoc viro dictum erit, si pauca adjunxero de scriptis ab eo editis, ac præsertim de Orationibus habitis in Sacello Pontificio, quarum tria volumina jussu Clementis xi. in vulgus emisit haud multo post quam Cardinalis factus est. Ex his profecto facile quisque intelliget Casinium in eorum Oratorum numero habendum esse, qui primas tenent. Quis enim illo uberior ac plenior? quis ad virtutem (libet, paucis immutatis, Ciceronis verba usurpare) ardentius cohortatus est? quis a vitiis acrius revocavit? quis vituperavit improbos asperius? quis laudavit bonos ornatius? quis cupiditatem vehementius fregit? Quæ dum agit, ita se peritum ostendit sacrarum litterarum, ut hæ nullius Oratoris æ-

que in potestate fuerint. Sic enim illas, quo intendit, deducit, sicque apte ad persuadendum accommodat, ut ex illis orationem nasci facile appareat; & quod mirabilius est, id tam varie, tam nove præstat, ut ne suspicari quidem liceat aliquid ab aliis esse quæsitum. Totum tamen dicendi genus non est sanum: nam quandoque oratio turget & inflata est, & habet quædam longius ducta, quæ vitia vix declinari poterant iis temporibus, in quæ incidit ætas Casinii. Apparent hæc quoque in Opusculo, quod inscripsit: *L'età dell'uomo alle misure del tempo e dell'eternità*; quodque Venetiis anno MDCLXXXII. vulgatum ad Cosmum III. Magnum Etruriæ Ducem instituit; ac in primis in panegyricis orationibus quorundam Sanctorum, quas typis commisit a. MDCLXXVII, unde factum puto, quod eundem valde pœnituerit illas sibi excidisse. Præter hæc in vulgus edidit Opus, cui titulus: *I Consigli della Sapienza*, in quo gravissimæ sunt ad recte beateque vivendum enuntiatæ sententiæ, quodque ex Gallico in Italicum convertit, plurimisque locis amplificavit.

OPERA.

Opera edita.

PANEGIRICI del Padre Francesco Maria Casini d'Arezzo Cappuccino. In Venezia ad istanza di Filippo Cecchi 1677. *e* 1679 *con aggiunta, in* 12.

I CONSIGLI DELLA SAPIENZA: ovvero Raccolta delle massime di Salamone necessarie all' uomo per saviamente procedere; colle riflessioni sulle medesime massime. Trasportata dal Francese nell' Italiano dal Padre Francesco Maria Casini d'Arezzo Cappuccino. In Venezia presso Paolo Baglioni 1681. *in* 12.

L'ETA' DELL' UOMO alle misure del tempo e dell' eternità. Venezia 1682. *presso Paolo Baglioni in* 12., *ed in Roma per Francesco Bizzarrini Komarek* 1762. *in* 12.

PREDICHE dette nel Palazzo Apostolico da F. Francesco Maria d' Arezzo Cappuccino, oggi Cardinale di S. Prisca. In Roma presso Gio: Maria Salvioni 1713. *in foglio tom.* 3. Alibi etiam mox impressæ fuere. Apostolus Zenus in notis ad librum Fontaninii, cui titulus, *Biblioteca della eloquenza Italiana cap.* 7. *in fin.* ait, haud illi ignoscere posse, quod minime recensuerit inter sacros Italos Oratores Casinium, *che a giorni nostri* (ejus verba referre libet) *ha dato non meno all' eloquenza Italiana, che al sacro Collegio un gran nome.*

JOANNI LAMIO

ANGELUS FABRONIUS S. P. D.

Sine me tuis vestigiis insistere, clarissime Lami, teque in eo imitari, quod non mediocrem operam studiumque collocasti in explicandis vitis multorum Italorum doctrina excellentium, qui aut nostra aut patrum memoria floruerunt. Ego quidem semper magni feci omnes libros tuos, quos plurimos, & reconditioris doctrinæ, atque eruditionis plenissimos in vulgus emisisti; sed studium, & ardor quidam amoris in nostrates effecerunt, ut ii præsertim mihi perplacuerint, in quibus tot clarorum virorum monumenta complexus es, optarimque me quoque in eodem scriptionis genere exercere. Satis ne feliciter id tentaverim, judicabis ex hac, quam ad te mitto, Nicolai Fortiguerræ vita. Hominem fortasse de facie nosti; nosti certe ejus suavissimos mores, ac miram ejusdem in scribendo elegantiam festivitatemque, ex quo fiet, ut facilius quid tibi de hoc libello sentiendum sit, statuere possis. Hunc si tibi probari rescribes, magnam spem feceris nemi-

minem improbaturum , neque parum animi mihi adjunxeris ad institutum opus persequendum . Solent ii qui stadium currunt , omni labore contendere , ut vincant . Hoc quidem , te æmulo , minime enitar ; satisque mihi erit , si existimabunt homines non a te tantum abfuisse , vix ut in eodem curriculo fuisse videar . Tu me fac ames . vale .

Romæ Kal. Junii MDCCLXIV.

NICOLAUS FORTIGUERRA.



ICOLAUS FORTIGUERRA Pistorii perantiqua & illustri familia natus est VII. Idus Novembris anno a CHRISTI ortu MDCLXXIV. Pater ei Jacobus fuit, vir plane bonus & egregius civis, cujus præclaris laudibus illa quoque accessit, ut eleganter pingeret; mater Martha Fabronia fœmina primaria & virtutibus præstans. Domi educatus jam ab ineunte ætate ostendit nihil se nisi bona studia, bonosque mores cogitare atque colere. Erat in eo docile ingenium, adeò memoria valebat, ut integros Poetarum libros, quibus in primis

delectabatur, facile comprehenderet, eratque summa suavitas oris & vocis. Quibus rebus id assequebatur, ut omnibus esset carissimus; & parentes ejus non solum sperarent, sed etiam confiderent majorum gloriam illum æquaturum. Pater mature decessit. Ipse adolescentulus Pisas venit, ut Juris prudentiæ studeret, qua in facultate cum eo tempore unus omnium maxime floreret Josephus Averanius, huic præsertim operam dedit. Sed animus ejus scientiæ percupidus non sola Juris prudentia contentus erat. Itaque Benedictum Averanium, Laurentium Bellinium, reliquosque celebriores Doctores, qui tum maxime Gymnasium illud illustrabant, frequenter audiebat. Sed in primis coluit Alexandrum Marchettum, a quo cum in aliis rebus, tum studiosissime in Poetica exercebatur. A Lazaro vero Benedicto Miglioruccio insignia doctrinæ accepit, idque fuit postrid. non. Maii an. MDCXCV. Sic Nicolaus instructus non videbatur posse intra domesticos parietes contineri. Itaque illi, ex quorum arbitrio pendebat, in nobilissimo Orbis terræ theatro, Romæ scilicet eundem versari voluerunt. Erat cum

illo

illo magnis propinquitatis vinculis conjunctus Carolus Augustinus Fabronius vir magnis ornamentis non solum honoris (eo enim Innocentius XII. utebatur in signandis libellis supplicibus) sed etiam virtutis & ingenii præditus, huncque consuetudine sua sic sibi devinxit, ut nemo ei perpetuo fuerit carior. Alios quoque amplissimorum Ordinum brevi sibi conciliavit, quibus sic officium & cultum præstabat, ut ne quid de studiis suis detraheret. Nam & Juris prudentiæ multam operam navabat, Græcasque litteras, quas Pisis primoribus tantum labiis gustaverat, duce Francheluccio, avide percipiebat; nec a Musarum Italarum consuetudine in his occupationibus abstrahi poterat. Profluxit autem ad hominum famam, cum Latina oratione laudasset Innocentium XII. in funere, quod illi in Vaticano Templo curatum est. Extat hæc oratio, & ea quidem gravis, splendida, copiosa, multisque sententiarum luminibus distincta. Habebat enim immensum campum, in quo libere exultare posset. Nec multo post a Clemente XI. missus est Legatus ad Philippum V. Hispaniarum Regem Antonius Felix Zon-

Zondadarius. Is secum habere voluit Nicolaum captus adolescentis humanitate, & doctrina. Mari cum se commisissent, sæva adeo tempestate jactati fuere, ut in summo vitæ discrimine tribus diebus ac noctibus erraverint. Nec minus saxa & cautes timuerunt, quam Turcica litora, prope quæ fuere. In Sardinia demum perfugium habuerunt, ibique summa in difficultate navigandi aliquandiu detenti sunt. Hæc tempestas plurimum detrimenti attulit valetudini Nicolai, cui ut consuleret, duodeviginti post menses in Italiam rediit. Romæ paucis diebus commoratus est amicos salutandi & visendi caussa, inde in Patriam concessit. Cum jam se corroboravisset, honores spectans Urbem remigravit, tectoque receptus fuit a Carolo Augustino Fabronio, quem haud multo post CLEMENS in amplissimum Purpuratorum Senatum cooptavit. Primum autem dignitatis gradum Nicolaus ascendit, cum ab eodem Pontifice Maximo inter honorarios Cubicularios adscitus fuisset, a quo & Canonicus Basilicæ primum S. Mariæ Majoris, idque exeunte anno MDCCXII, mox decem circiter post menses S. Petri in Va-

Vaticano declaratus est. Factus etiam ab ipso fuit utriusque Signaturæ (licebit uti usitatis verbis, si nos forte Latina deficient) Referendarius; ab INNOCENTIO vero XIII. S. Consultationis Ponens. Sed hæc Nicolao cum multis erant communia. Non pari modo ingenii facultates, inter quas eminebant lepos & festivitas orationis, litterarum & antiquitatis cognitio, in pangendis carminibus mira felicitas, & in omni scriptionis genere munditia atque elegantia. Quo fiebat, ut nullus Romæ esset litteratorum hominum cœtus, in quem ille libentissime non reciperetur. Sed præsertim Arcadibus, qui eum appellarunt *Nidalmum Tiseum*, fuit acceptissimus, ratis magno usui sibi fore in gloria Academiæ magis magisque provehenda. Quod quidem eos non fefellit. Nam nunquam ejus vox audita est, quin illi a cuncto consessu plausus multiplex fuerit datus; nec non plura iisdem suppeditavit, quibus ornarent illa volumina, quæ continent quidquid præstantius celebriores Pastores condiderunt tum versibus, tum soluta oratione. Inter carmina Nicolai meo judicio præstat omnibus ode illa amatoria,

toria, cujus initium est: *Qualora io penso, e qualora gli occhi io volgo*: grandis illa quidem, splendida, ingeniosa, concinna, in qua plura admiscuit ex intima Platonicorum philosophia. In hac mihi videtur æmulus esse voluisse laudum, quas homines intelligentes pleno ore concedunt ejusdem generis poemati, quo Eustachius Manfredius celebravit Juliam Vandiam. Affluens omni lepore & venustate est ode, quæ laudat Genuenses fœminas. Prorsus Anacreontem redolet carmen, quod incipit: *Io lo so, lo veggio ognora*: Nimis longus essem, si pulchritudines persequi vellem singulorum carminum Nicolai, quæ relata sunt in hæc Arcadica volumina, reliquasque celebriores collectiones. Satis erit illud dixisse, nihil in his occurrere vulgare & commune, sed omnia varia & nova, ómnia ad Poesis præcepta efformata, omnia pura, & sapore plane poetico condita, ut facile intelligi possit illum fuisse a natura & arte ad hanc facultatem instructissimum. Multum vero Græca in lingua versatum fuisse indicat carmen de nuptiis Acontii & Cidippæ, quod e Græco in Etruscum convertit. Carminibus quoque Italicis reddidit

Euri-

Euripideam Tragædiam, quæ inſcribitur, *Iphigenia in Tauris*, & quidem elegantiſſime, ut mihi teſtatus eſt Michael Angelus Giacomellius, doctus & intelligens harum rerum exiſtimator, cui eam legendam dedit: ſed hæc in manus hominum minime venit. Non minorem laudem Nicolaus ex iis cepit, quæ ſcripſit ſoluta oratione. Splendet ubique purum quaſi quoddam & candidum dicendi genus: ingenium in illo fuiſſe ad eloquentiam apparet ex ea oratione, quam anno MDCCXI. in ædibus Capitolinis habuit de laudibus Architecturæ, Picturæ, & Sculpturæ: præſertim vero floruiſſe lepore & urbanitate perſpici poteſt ex iis duabus paſtoritiis orationibus, quarum una laudes continet CLEMENTIS XI, altera eſt de principiis rerum. In hac poſtrema rerum naturalium ſe quoque litterate peritum oſtendit. Explicat enim principia & cauſſas ſalſitudinis aquæ marinæ, fontium, terræ motuum, metallorum, lapidum, arborum, florum, aliarumque hujus generis rerum. Quid etiam feſtivius epiſtola illa ad Marium Creſcimbenium, ut illum deprecaretur, ne ſibi onus imponeret cujuſdam laudationis contexendæ?

dæ?

dæ? Nec non Latina quædam in Arcadia recitavit, quæ in vulgus minime sunt edita: hæc tamen elegantia sermonis ab iis, quæ scripsit Italice, superantur. Nec Arcadiæ solum lumen ingenii sui Nicolaus ostendit. Nam anno MDCCXV. cum a CLEMENTE XI. summa cum cæremonia Vaticana in Basilica translatio Corporis S. Leonis Magni ab humili loco ad ornatiorem augustioremque perageretur, habuit de eodem sancto Pontifice Latinam orationem, quæ publici juris facta est, sane bonam, & nobilem. Anno qui secutus est, accidit, ut Canonici ejusdem Vaticanæ Basilicæ aliquem e suis Pistorium mittere vellent, qui corona aurea donaret (ii soli istud jus habent) iconem Beatæ Virginis, quæ dicitur *dell' Umiltà*. Ex his delectus est Nicolaus; isque mandatam rem magna cum celebritate confecit. Huic solemni, quod triduum fuit, haud mediocre decus attulit præsentia Joannis Castonis Magni Etruriæ Ducis, Violantis & Eleonoræ, quarum hæc uxor fuerat Francisci, illa Ferdinandi Mediceorum; hique omnes summis honoribus Nicolaum sunt prosecuti. Tanta vero erat in

eum

eum suorum civium caritas, ut nullum officii genus excogitari possit, quod ei non præstiterint. Hoc expleto mandato, cum suis rus venit, ut aucupio, sicuti mos est nostrorum hominum, se oblectaret. Erat ènim autumnus. Vesperi autem nobiles quidam eruditissimique adolescentes, qui in vicinis villis habitabant, congressus ejus, doctissimosque sermones requirebant, & cum his plerumque ipse delectabatur lectione Poematum Berni, Morgantis, & Ariosti. Accidit aliquando, ut cum a legendo requiescerent, horum quidam dixerit: *Deus scit quanti laboris fuerit, non dicam unius libri, sed paucarum ὀγδοάδων* * *confectio! Nam quo major facilitas in his Poematibus apparet, eo magis in iis auctores suos elaborasse existimare debemus*. Huic reliqui sunt assensi. Tum Nicolaus: *ego vero*, inquit, *non multum arbitror illos sudasse, quoniam in Poesi natura in primis dominatur. Et ne me verba dare putetis, hoc recipio me ad vos sequenti vespere librum allaturum, qui ex stylo*

trium

* Libuit sic appellare, quæ nos Itali dicimus *Canto e Ottava*. Græcum verbum ὀγδοὰς ex ode secunda Nemeorum Pindari sumpsimus: nec animo occurrit aliud Veterum carmen, in quo servata hæc divisio fuerit, suoque nomine appellata.

trium horum Poetarum misceatur & temperetur. Magna ſane res, dicerem etiam audacem, ni probe mihi perſpecta eſſet Nicolai ſingularis ingenii vis. Et hercle datam fidem liberavit eo ſucceſſu, ut illi adoleſcentes iſtud unius diei opus ad cælum extulerint, & ſummis precibus ab eo contenderint, ne gravaretur, quod inſtituerat, exædificare. Quod & fecit. Id enim honeſtiſſimum eſſe putavit, in quo otium ſuum, & ſubceſiva præſertim tempora oblectaret. Condidit ergo Poema, quod inſcripſit *il Ricciardetto*, quodque in triginta libros diſtribuit. Ipſe inventor & architectus fuit rerum omnium, quæ in eo narrantur; et potuit, cum admirabile ingenium haberet ad fingendum. Quanta ubertas & varietas portentorum & monſtrorum! Sic enim facilius lectorum multitudinem delectari poſſe putavit.. Quoniam quidem hæc delectatio & jucunditas ei propoſita in primis erat, libavit ex omni genere urbanitatis facetiarum quendam leporem, quo tanquam ſale ubique hoc ſuum Poema aſpergeretur. In hac rerum feſtivarum copia ſunt nonnulla, in quibus ſatius erat haud riſum quærere. Sed non dubitavit interdum plus æquo obſequi hilarita-

ti

ti illi suæ, quoniam nunquam fore putavit, ut hic suus labor in hominum manus perveniret. Quam excusationem si qui forte non accipient, non propterea de illo graviter detrahent. Scio enim ex locupletissimis testibus, cum quibus is conjunctissime vixit, moribus fuisse castissimis ac sanctissimis. Sed licet multum comprimeret poema hoc, non tamen illius exemplum negare potuit Cardinali Cornelio Bentivolo, cui magnis obstringebatur non solum beneficiorum, sed etiam amoris vinculis. Erat enim iisdem studiis, quæ ipse colebat, deditissimus. Guido vero filius fratris ejusdem Cardinalis, mortuo Nicolao, patruoque, non se tenuit, quin illius imprimendi potestatem permitteret Francisco Pittero Veneto Bibliopolæ. Etenim magno enim illud fore ornamento Italæ poesi existimavit. Et sane unus omnium consensus fuit in ejus elegantia, concinnitate, festivitateque laudanda. Ex quo factum est, ut bis spatio unius anni (is fuit MDCCXXXVIII.) impressum fuerit. Librorum argumenta composuit Dominicus Octavius Petrosellinius magni nominis Poeta. Ipse vero auctor epistola quadam ad Eustachium

Manfredium, quæ poemati præficitur, pluribus verbis exponit contentionem ſane gravem, quam hujus poematis cauſſa habuit cum docto quodam viro; huncque fuiſſe Juſtum Fontaninium conjectura ducor ad ſuſpicandum. Hanc epiſtolam eo ſapore vernaculo condivit Nicolaus, ut non dubitem eam tanquam exemplar recte ſcribendi proponere. Haud pauca etiam in ea admiſcuit, quæ illum oſtendunt doctum & intelligentem exiſtimatorem Epicæ poeſis, quæque eum facile excuſabunt, ſi interdum in hoc ſuo poemate condendo ab artis præceptis receſſit. Iiſdem temporibus, quibus in *Ricciardetto* elaboravit Nicolaus, *μετάφρασιν* quoque elegantiſſimam comædiarum Terentii concinnavit Italico verſu, quem ſolutum appellant. Quanti autem iſtud opus æſtimandum ſit ex hoc facillime cognoſci poteſt, quod Apoſtolus Zenus, vir qui ſane teretes aures habebat, intelligenſque judicium, acri reprehenſione dignum putaverit Fontaninium, quod illud non pleniſſimo ore laudaverit in illa ſua Bibliotheca Italicæ Eloquentiæ. Idem Urbini an. MDCCXXXVI. ita impreſſum fuit, ut nihil fieri neque elegantius,

tius, neque magnificentius potuerit. Nam ceteris ornamentis illud quoque accessit, quod liber repræsentat figuras affabre incisas scenicarum personarum, quales visuntur vetustissimo in codice Terentiano Vaticanæ Bibliothecæ. Simili modo vertit quinque Plauti comædias, hasque aut jacere in tenebris, aut periisse jure meritoque dolemus. Nam testimonio illorum, qui eas legerunt, laudes superiorum exæquabant. Porro deditissimum Nicolaum fuisse Latinis Comicis, hoc quoque erit indicio, quod Apologos quosdam Plautino stylo composuit; quodque ex hujus Poetæ fabulis multa memoriter, & jucunde pronuntiare solebat. Risit aliquando inscitiam hominis, in quo interiores quædam & reconditæ litteræ esse putabantur, qui volens hos Apologos eorum auctori laudare, dixit redolere veneres Apulæi. Neque hoc prætereundum est, a Nicolao aliquando, quo magis de litteris, & de Patria bene mereretur, cogitatum fuisse (haud tamen præstitit), ut in lucem emitteret Italica carmina Antonii Fortiguerræ Gentilis sui. Mollia sunt, arguta, candida, & omnino ad Petrarchæ normam effi-

cta hæc carmina, quod eo laudabilius est, quod illius ætas incidit in ea tempora sæculi xv, quibus illustrium scriptorum, qui paullo ante floruerant, nomina prorsus viluerant, cum barbaries omnia occupasset. Anno MDCCXXVII. e vita cessit Cardinalis Fabronius, quem quidem casum doluit vehementer Nicolaus. Nam eum semper observaverat ac dilexerat non secus ac parentem. Non ita multo post a Summo Pontifice BENEDICTO XIII. mandata habuit ad Joannem Castonem Magnum Etruriæ Ducem, eaque diligentissime obivit. Neque tamen ad altiores magistratuum gradus ascendit nisi Pontifice Maximo CLEMENTE XII. Nam ab eo anno MDCCXXXIII. factus est a Secretis Collegii Cardinalium Propagandæ Fidei; & majora obtinuisset, nisi ea cujusdam persuasu & inductu recusasset. Tæduit illum postea hujus consilii sui, tantaque vis fuit pœnitendi, ut haud mediocre ejus valetudo detrimentum ceperit. Sane propensissimam in se CLEMENTEM voluntatem habere non poterat ille dubitare. Nam jam ab adolescentia perofficiose & peramanter illum observaverat, noverat quam bene in littera-

teratos animatus esset; nec illud leve benevolentiæ argumentum, quod postquam Pontifex Max. creatus est, sæpissime illum ad se accersibat, ut in ejus suavissimis sermonibus, lectioneque rerum ab illo scriptarum curarum levamentum haberet. Sic igitur Nicolaus cum jam jam honorum metam attingere videretur, mors advenit, quæ eum de cursu revocavit. Quinque circiter mensibus ægrotavit, talemque nactus est morbum, quem initio ipse & medici contempserunt. Tumores enim sub auribus apparuerunt. Sed hi adeo inflati sunt, ut nisi medicina præsto fuisset, periculum esset ne ei spiritus, a quo linqui identidem videbatur, intercluderetur. Illa tamen non valuit ad sanandum malum, quod cum in venas permanasset, eo consumptus est Nicolaus XIII. Kal. Martias an. MDCCXXXV. Vixit annos unum & sexaginta, menses tres, dies vero undecim. Justa ei facta fuere in Templo Collegii Propagandæ Fidei, ibidemque loci sepultus. Paullo antequam moreretur, magnam chartarum vim jussit comburi, sicque plurima quæ inchoaverat scripta, & haud pauca etiam, quibus extrema manus accesserat,

rat, non ſine ingenti Muſarum luctu intercide-runt. Inter hæc erat comædia Italicis verſibus compoſita, in qua eleganter non minus, quam lepide mores ad vivum expreſſerat quorumdam nobilium, cum quibus familiariſſime vixerat. Ex hoc tamen rogo tanquam ſpolia ſervati fuere tres libri cujuſdam poematis, in quo caſus Bajazetti exornandos ſuſceperat. Cauſſa ſuſcipiendi fuit, ut oſtenderet errare eos, qui ajebant unice ſe factum ad jocum & ludum, adeoque ſi ſeria tractare conaretur, fruſtra in hanc rem laborem inſumpturum. Et quidem his tribus libris temperavit ſibi ab omni ſale & facetiis, ſed cum eo perveniſſet, ut Bajazettum cavea incluſum narraret, & nec poſſet non eſſe ſalſus & facetus, quaſi de ſe deſperans, inchoatum opus reliquit. Servatæ quoque fuere epiſtolæ, quas Italicis carminibus ſcribere ad amicos ſolitus erat. Harum nonnullas nuntiatur nobis noviſſime typis impreſſas fuiſſe Florentiæ; ſicque probari intelligentium judicio, ut pauci pares in hoc carminum genere, ſuperior nemo Nicolao ponatur. Sed noſtra erit major, quam reliquorum laudatio. Ceteri enim quam ele-

eleganter ac lepide, nos etiam, quam facile atque celeriter eas confecerit, ſcimus; quodque vix credendum eſt, pleraſque illarum ſtans pede in uno dictavit. Ex quo intelligi poteſt maximam vim eſſe naturæ in poetica facultate. Porro natura ea tribuerat Nicolao, ut ſi ipſe fingere vellet, neque plura bona comminiſci, neque majora conſequi poſſe videretur. Etenim præter illud excellens ingenium [admiror hoc non eluxiſſe, ſi quando verba facere in judiciis cogeretur] magna præditus erat corporis pulchritudine, magnitudineque, ſuaviſſimis moribus, & ad omnem rationem humanitatis accommodatiſſimis. Adeo ſimplex & apertus, ut ſuſpenſa, vel ambigua, vel obſcura verba, uti barbaras artes, & ſubdola mendacii integumenta, fideique ac ſocietatis humanæ perniciem ſemper ſit deteſtatus. Adulationem quoque, blanditias, aſſentationem tanquam peſtem aliquam fugit. Si quam acceperat injuriam, facile oblivifcebatur, percepta vero beneficia immortali retinebat memoria. Nihil unquam neque inſolens, neque glorioſum ex ore ejus exiit. Patriæ ſuorumque civium fuit amantiſſimus.

Propter delectationem sermonis libenter versabatur in conviviis amicorum; edebatque ac bibebat, ut de Cæsare retulit Cicero * ἀδεῶς & jucunde. Studiose coluit amicitias multorum doctrina excellentium virorum. Sed præsertim usus est familiarissime Mario Crescimbenio, Jo. Vincentio Lucchesinio, Eustachio Manfredio, quem præceptorem suum appellabat, & Michaele Angelo Giacomellio, quo cum in Græcis litteris plurimum se exercuit eo præsertim tempore, quo simul fuere apud Cardinalem Fabronium.

* Epist. ult, lib. xiii. ad Attic.

Opera edita.

COMMEDIE di Terenzio tradotte per la prima volta in versi Italiani, Urbino a spese del Mainardi 1736. *in fol.* & alibi in 8.

RICCIARDETTO di Niccolò Carteromaco in Parigi (falso: nam Venetiis impressus est) *a spese di Francesco Pitteri Librajo Veneziano* 1738. in 4. & in 12.

ORATIO in funere INNOCENTII XII. Romæ 1700.

—— *in Translatione sacratissimi Corporis S. Leonis Magni. Romæ* 1715.

—— *in lode delle nobili Arti della Pittura, della Scultura e della Architettura*: legitur in secundo volumine *delle Prose degli Arcadi*.

RA-

RAGIONAMENTO allegorico intorno all' origine delle cose: ibidem loci reperitur.

DISCORSO Pastorale per la pericolosa infermità e ricuperata salute del Santissimo Pontefice CLEMENTE XI. accaduta nel Dicembre 1712. ibidem.

RISPOSTA in forma di lettera familiare ad Alfesibea Cario Custode d' Arcadia. ibid.

RIME leguntur in secundo & octavo volumine *delle Rime degli Arcadi, nella Raccolta del Gobbi*, aliisque collectionibus.

RACCOLTA di Rime piacevoli di Niccolò Fortiguerra &c. parte prima in Genova 1764. Liber Florentiæ impressus est, continetque undecim epistolas ad amicos scriptas.

DOMI-

DOMINICUS GUGLIELMINIUS.*



Ajores Dominici Guglielmini Novariæ orti, Cravineam, quod in valle Antigorii eſt oppidum, migraſſe perhibentur. Hinc certe Avum centum circiter annis ante tranſiiſſe Bononiam conſtat, & in ea Urbe conſediſſe. Bononiæ Dominicus eſt natus v. Kal. Octobris A. D. MDCLV. Principio plura genera doctrinarum attigit; tum vero ad quæ magis ſe ferri natura intellexit, ad illa duo totum ſe contulit, mathematicam ſcientiam, & medicam artem, uſus in utraque nobiliſſimis Præceptoribus Geminiano Montanario, & Marcello Malpighio. Annum agens XXI. mathematica illuſtrare cœpit, editis duabus *Volantis Flammæ Epitropeiis*. Quibus porro *de Cometarum natura & ortu Diſſertationem*, ac *Obſervationem* addidit *Solaris Eclipſis*. Has duo ſunt conſecuta volumina *de Aquarum Fluen-*

* Scripſit hanc vitam Joannes Baptiſta Morgagnus, qua de re in Præfatione Lectorem quoque monuimus. Hunc & illud ſcire volumus parentes Dominico fuiſſe Julium Guglielminium, & Gentilem Neriam Bononienſem.

Fluentium menſura , totidemque *Epiſtolæ Hydroſtaticæ* : quibus nunc tertia adjungenda eſt ex Berolinenſibus Miſcellaneis ; & is demum , quem Italice ſcripſit , *de Natura Fluminum* liber. Quam vero iis ſcriptis de ſua in mathematicis præſtantia opinionem excitaverat , opere (quod difficilius eſt) confirmavit. Joanni Dominico Caſſino Aſtronomorum hujus ætatis facile Principi , in Bononienſi illa celebratiſſima meridiana linea inſtauranda comes fuit. Padum autem flumen (ut de reliquis ejus operibus ſileamus) a Placentiæ mœnibus , quibus magis magiſque imminebat in dies , objectis molibus , repulit. Nec vero tanto Mathematico præmia , atque honores defuere. Nam Patria xxx. annos natum procurationi fluminum , & totius Provinciæ aquariæ præfecit , paucîſque interjectis annis , in publicos mathematum Profeſſores retulit. Ipſum Kalendarium , ut ibi poſitum eſt in more , conficere , ipſum Hydrometriam primum omnium docere , in his denique cunctis , aliiſque præterea muneribus ipſius abſentis rationem haberi , & conſervari perpetuo voluit , ex quo ſcilicet ab ampliſſimo Venetorum

Se-

Senatu Patavium honestissimis conditionibus evocatus, in Stephani Angeli mathematici perillustris locum suffectus est A. D. MDCXCVIII. Itaque jam nulla in Italia fere tota paullo difficilior mathematica consultatio accidebat, quin ejus sententia a magistratibus, virisque Principibus expeteretur. Hinc Mantuam, hinc Cremonam, hinc Mutinam, hinc alio sæpe accersebatur. Parmensium autem Dux præsertim post illud, de quo antea dictum est, ad Placentiam opus feliciter absolutum, & plurimi fecit, & propria auro, gemmisque exornata imagine donavit. Cum vero Ferdinandus de Abdua, & Franciscus Barberinus Cardinales ab INNOCENTIO XII. Pont. Max. legati essent, ut de illis cognoscerent, quæ inter Bononienses & Ferrarienses jam diu sunt controversiis circa Rheni in Padum derivationem, Dominicus non modo suorum apud illos caussam egit, sed ab utroque vehementer probatus, jussus est pro sua peritia & fide de aquis etiam Ferrariensis agri, & Ravennatis referre. Nec dubium est, quin ea quæ sunt ab illo proposita, perplacuerint, quamquam ob gravissimas, quas hic referre

re

re non attinet, cauſſas, illæ quidem nondum compoſitæ ſunt lites. Ab ſapientiſſima autem Venetorum Republica alias in Illyricum miſſus eſt ad Caſtri Novi munitiones inſtaurandas, alias in Forojulienſem Provinciam, ut rapidum amnem, Palmæ proximum, & quaſi impendentem, a munitiſſimo oppido arceret. Quam ſæpe vero de rebus hujuſmodi conſuleretur, quamque item carus haberetur, dici facile non poteſt; nec Venetis quidem ſolum, quamquam his plurimum, ſed & Reipublicæ Lucenſi, & Hetruſcis Principibus, & optimo ingeniorum æſtimatori ac patrono CLEMENTI XI. Pont. Max. ut a quibus omnibus, & præterea a ſuis Civibus, magnis eodem tempore propoſitis præmiis & honoribus, paullo antequam e vita diſcederet, eſt vocatus. Neque in eo mathematicæ tantum ſcientiæ, ſed & medica doctrina ſpectabatur. Emiſerat namque Italice ſcriptas *Conſiderationes ex figuris ſalium erutas*, Latine autem *de Sanguinis natura & conſtitutione Exercitationem*; *pro Theoria medica adverſus Empiricam ſectam Prælectionem*, *de Salibus Diſſertationem*, *& de Idearum vitiis, correctio-*

ctione & usu ad statuendam & inquirendam morborum naturam Exercitationem , qui fere omnes libri rursus Batavorum typis descripti sunt. Annumerari his possent Epistolæ sex ad G. *Desnoues* Italico scriptæ sermone, sed Gallico tantum editæ. Annumerari autem omnino debet *Symposium medicum, sive Quæstio Convivalis de usu mathematum in arte medica*; nam etsi *Josephum Donzelinum Antonii Filium Cossentinum* auctorem præfert, ego tamen certum compertumque habeo, tam illam esse Guglielmini, qui sub ficto nomine latere tum voluit, quam quod maxime. His ut fere Contemplatricem medicinæ partem ornavit, sic aliis vicissim libris Activam erat ornaturus. Huc enim priores illi tendebant, nimirum ut viam quasi munirent accessuris ad libros *de Febribus* & *de Methodo medendi*, quos quidem affectos reliquit. Perfectæ autem plures supersunt Dissertationes apud Filium aliæ, aliæ apud Alexandrum Bonis Medicum Venetum optimis cum scientiis, tum moribus ornatissimum, hisque nominibus Guglielmino carissimum, & in iis *de Materiæ Affectionibus* duæ. *De principio*

au-

autem *Sulphureo* novem, & *de Ethere* unica, quas vivens adhuc emitti jusserat, post ejus mortem prodiere, eodem Alexandro Bonis curante, & se atque earum scriptore dignam præfationem addente. Annum agens XXII. a præclarissimis Philosophorum Medicorumque Bononiensium Collegiis Doctor renunciatus, medicinam domi forisque cum laude fecit, eoque etiam nomine in comitatu virorum Principum fuit. In anatomico scholæ Bononiensis Theatro solemnem humani corporis dissectionem adolescens non sine honore administraverat. Postea in custodiendo præclaro Ulyssis Aldrovandi museo Ovidio Montalbano successor est datus. Librorum quoque cum philosophicorum, tum medicorum factus est censor. In Patavino autem Gymnasio primarium Medici Theorici locum ab A. MDCCII. post discessum Pompeii Sacci Parmensis medici clarissimi, pro sua & illius Gymnasii dignitate, quæ est amplissima, tenuit. Porro ejus consilium sæpe in morbis difficillimis requirebatur; constatque a magno Hetruriæ Principe, amplis, ut sibi medicus esset, fuisse præmiis & honoribus invitatum. Tanti autem

tem Mathematici & Medici famam non Italiæ modo, ſed Europæ univerſæ fines peragraſſe, ex eo præſertim agnoſci poteſt, quod non in Patrium tantum, ſed & in externos cœtus Doctorum hominum celeberrimos eſt lectus, Cæſareum N. C. Germanicum, Regioſque item Pariſienſem, Londinenſem & Berolinenſem. Acerrimo fuiſſe ingenio, & non deteriore judicio, etſi ſcripta ſatis oſtendunt, non alienum tamen eſt addere, qualem in ſcriptis, talem quoque in omni ſermone ſe præbuiſſe. Negare ſolebat Montanarius præclariore, aut promptiore ingenio noviſſe quemquam. Alter vero Præceptor Malpighius quanti ipſius judicium faceret, cum ſæpe alias, tum præſertim vita excedens oſtendit, poſthumi operis editione illi, & Sylveſtro Bonfiliolo viro clariſſimo commendata. Ad hæc, atque alia, quæ natura dederat, animi bona, ſingularis induſtria & labor aſſiduus acceſſerunt. Nunquam non illum inveniſſes aut legentem aliquid, aut commentantem, aut ſcribentem, aut domi & in publico docentem, idque ea diligentia & copia, & acumine, &, quod ſemper eſt caput, ordine, ut ex ejus Diſcipulis

nomi-

nominare possem plures nihil a tanto Præceptore degenerantes, nisi cum plures nominassem, plures tamen superfuturos esse intelligerem. A publico docendi officio non illum poterat affecta valetudo, non ex recenti itinere languor avertere. Sed neque in gravissimo, quo confectus est, morbo amicorum monitis, precibusque potuit adduci, ut libros seponeret, quos pulvino subditos, illis discendentibus, sumebat in manus. Ceterum in amicos officiosus, in Præceptores pius, in bene de se meritos quosque gratus; modestus præterea, æquus, unoque verbo moribus optimis & honestissimis fuit, ut hac etiam de caussa fieret, ut qui illo familiariter uterentur, hi longe carissimum haberent: quo ex numero Patricii Veneti duo non sunt nobis prætermittendi, Sebastianus Fuscarenus Eques, ac ædis Divi Marci Procurator, dum viveret, amplissimus, meritissimusque, & Christinus Martinellius vir doctissimus, & bonorum omnium fautor summus. Statura fuit procera, amplo corpore atque robusto, sed novissime, credo ob assiduas lucubrationes, nonnihil incurvo; nigros habuit, ve-

getosque oculos, nigra, densa, magna & contracta supercilia, colorem sublividum, vultum vero natura adductum, & tanquam ad severitatem compositum, ut primo aspectu longe aliter atque erat, asper austerusque putaretur. Valetudine usus est prospera, nisi quod adolescens pulmone sanguinem rejecit, consequente neque brevi, neque periculo vacua, ægrotatione. Supremis quoque annis lumborum, imprimisque faucium rheumate frequenter laboravit. Caussamque adeo novissimæ ægrotationis ex gravedine contraxit, quæ postquam, tribus interjectis mensibus remiserat, iterum, ineunte Majo recruduit. Huic cum febris non sine quibusdam mentis alienationibus, aliisque gravioribus symptomatibus accessisset, visus tamen æger rursus levari, & fortasse erat convaliturus. Sed vires a sævo longoque morbo infirmatas sanguis e naribus eodem die semel atque iterum profluens sic dejecit, ut dum ad excipiendum sanguinem pelvim posceret, & se in cubitum reponere niteretur, extemplo deficeret IV Id. Jul. A. D. MDCCX ætatis LIV super menses IX, ac dies XV. Aliquot ante illum

lum diebus quæcunque ex noſtris ritibus, quos ſemper caſte religioſeque ſervaverat, impendente morte fieri ſolent, ea omnia ſancte perfecerat. Nec vero ſupremum boni, prudentiſſque Patrisfamilias neglexit officium, ſcripto herede Joſepho, quem ex Conſtantia Joannetta cive Bononienſi uxore obſequentiſſima tulerat, filio, eoque cum ipſa uxore, communique altera filiola & matre, quam grandævam admodum reliquit, viris graviſſimis, amiciſſimiſque commendato; nam duæ, quas ex eadem Conſtantia tulerat, majores filiæ inter ſacras Virgines ſe receperant. Patavii, qua in urbe deceſſit, in æde S. Maximi humatus fuit, quadrato impoſito lapide, in quo inſcriptum eſt:

HIC JACET
DOMINICUS GUGLIELMINI
BONONIENSIS
IN PATAVINO GYMNASIO
PUBLICUS THEORICÆ MEDICINÆ
PROFESSOR PRIMARIUS
OBIIT DIE XII. JULII ANNO MDCCX
ÆTATIS SUÆ LIV.

 Fe-

Felix autem Abbas Viale vir doctissimus atque integerrimus, & quo erat Patavii cum Guglielmino conjunctior nemo, justum ex albo marmore monumentum in celeberrimo loco statuit ad Sancti Antonii Templum, qua hoc fere meridiem spectat.

Scriptum in eo monumento elogium, & quæ præterea ediderit Guglielminius opera, hic referemus.

D. O. M.

DOMINICO GUGLIELMINO BONONIENSI
IN PATRIO PRIMUM MOX IN PATAVINO GYMNASIO
MATHESEOS INDE THEORICAE MEDICINAE
PUBLICO PROFESSORI PRIMARIO
VIRO MORUM PROBITATE SCIENTIARUM PERITIA
SCRIPTIS EDITIS EDENDISQUE CLARISSIMO
A SERENISSIMA VENETORUM REPUBLICA
HUC INGENTIBUS STIPENDIIS ACCITO ET IN ARDUIS
ADHIBITO
QUEM
DUM CERTATIM MAGNI PRINCIPES MAGNIS
MUNERIBUS AMBIUNT
POST LONGAM DUBIAM VIXQUE MEDICIS EXPLORATAM
AEGRITUDINEM

IN

IN IPSO AETATIS ROBORE FORTUNAEQUE
SECUNDISSIMAE PLAUSU
PRINCIPUM PRINCEPS DEUS TERRIS ERIPUIT
CAELOQUE LOCAVIT
AETATIS SUAE ANNO LIV SAECULI VERO XVIII ANNO X
FELIX ABBAS VIALE PUBLICUS BOTANICES PROFESSOR
HORTIQUE MEDICI PATAVINI PRAEFECTUS
AMICO ET COLLEGAE DESIDERATISSIMO
AETERNUM HOC AMORIS ET MAERORIS MONUMENTUM
POSUIT.

Opera edita.

VOLANTIS FLAMMÆ a Perilluſtri & Excellentiſſ. D. Geminiano Montanario Bononienſis Archigymnaſii Profeſſore Mathematico optice ac geometrice examinatæ Epitropeja. Concluſiones a Dominico Guglielmino propugnandæ. Bononiæ ex Typographia Manoleſſiana 1677. *in* 4.

VOLANTIS FLAMMÆ &c. Epitropeja: ſive Propoſitiones Geographico - Aſtronomico - Geometrico-Opticæ a D. G. ejuſdem D. Montanarii diſcipulo demonſtratæ. Bononiæ &c. His ſcriptis Guglielminius Præceptorem ſuum defendit, qui a Cavina non ſolum rationibus, ſed etiam injuriis palam oppugnabatur. Exarſit vero Cavina in Montanarium, quod ſecum ille non conveniebat in determinanda diſtantia a terra cujuſdam ignis, qui æque ac luna plena lucidus in cælo anno 1696. apparuerat. Si Præceptorem audire voluiſſet Guglielminius, non conſeruiſſet manus cum Cavina, quem deſpiciendum Montanarius putabat: reſque, de qua diſputabatur, erat ejuſmodi, ut paucis pagellis confici poſſet. Sed contentionis amor plura ex utraque parte expreſſit volumina.

DE COMETARUM NATURA ET ORTU Epiſtolica Diſ-

Dissertatio, occasione novissimi Cometæ sub finem superioris anni, & inter initia currentis observati conscripta. Bononiæ typis H. Dominici Barberii 1681. *in* 4. Sententiam illorum qui Cometas æque ac Planetas corpora æterna asserunt, oppugnaverat Montanarius, hoc nixus fundamento, quod nempe novissimus hic Cometes, qui sub finem Februarii memorati anni 1681. ex oculis hominum evanuerat, propior terræ tunc erat, quam ut suo tantum discessu evanescere posset. Igitur, ajebat Montanarius, sua sponte consequitur, ut physica dissolutione de medio sublatus fuerit. Quod magistri argumentum ut fulciret, atque in bono lumine collocaret Guglielminius, Cometarum generationem explicavit in hoc volumine, quod ad Franciscum Nazarium doctum virum, sibique familiaritate conjunctum instituit. Planetis ingentes vortices tribuit, hosque, ubi sibi invicem duo Planetæ appropinquant, ita intersecari ait, ut novus vortex emergat; ex hujus vero crassioribus partibus novum corpus solidum produci, quod Cometæ caput est. Si quis est qui hæc nec vera, nec verisimilia putet, adscribat ad judicium suum non modo meam, sed illius etiam, qui illa proposuit, sententiam. Apta enim illa tantum existimavit explicando Phenomeni.

OBSERVATIO Solaris Eclipsis anni 1684. *Bonon. habita die* 12. *Julii ejusd. anni. Bononiæ apud H. H. Antonii Pisarrii* 1684 *in* 4. Inscribitur Libellus Antonio Magliabechio.

RIFLESSIONI FILOSOFICHE dedotte dalle figure de' Sali, espresse in un discorso recitato nell' Accademia Filosofica esperimentale di Monsign. Arcidiacono Marsigli la sera delli 21 *Marzo* 1688. *In Bol. per gli Eredi del Pisarri* 1688. *in* 4.

AQUARUM FLUENTIUM mensura nova methodo inquisita. Pars Prima Bonon. &c. 1690. *in* 4. Anno vero sequenti prodiit

AQUARUM FLUENTIUM mensura &c. Pars Altera

ra. Bononiæ &c. Sane Hydrostatica scientia plurimum aucta est his duobus opusculis Guglielminii, quanquam ille comiserit, ut non bene explorata atque incerta principia ponerentur. Quod hæc oppugnari vidit a quodam Dionysio Papinio, defensionem illorum suscepit duabus epistolis, quas Bononiæ an. 1692. hoc titulo edidit:

EPISTOLÆ DUÆ HYDROSTATICÆ, altera apologetica adversus observationes contra Mensuram Aquarum Fluentium a clarissimo viro Dionysio Papino factas, & Act. Erud. Lipsiæ anni 1691. insertas: altera de velocitate & motu fluidorum in siphonibus recurvis suctoriis. Illa scripta est ad Leibnitium, a quo primum Guglielminius certior factus fuit Papinium contra se surrexisse, hæc ad Antonium Magliabechium. Has secuta est tertia Epistola ad Præsidem; in quibus omnibus ita sua confirmavit Guglielminius, adversaria evertit, ut modestiam semper servaverit.

DELLA NATURA DE' FIUMI Trattato Fisico-matematico. In Bologna per gli Eredi del Pisarri 1697. in 4. Nuncupatus est liber Bigonio, quo suffragante, Auctor superiori anno Parisiensis Scientiarum Academiæ Socius renuntiatus fuerat. Sint sane præclara, quæ scripsit Guglielminius; sed hoc reliquis ejus operibus omnibus anteponere debemus. Constat enim inter omnes illum ita meritum hoc libro de hydrostatica scientia fuisse, ut quæ ima sede manebat, ad altissimum gradum provexerit. Vulgaris gregariusque Physicus haud lecto hoc libro, perspectam sibi esse fluminum naturam arbitrabitur. Quem si legat, illud nescisse fatebitur, quod se se habere pro comperto atque explorato ipse autumabat. Eustachius Manfredius notis illustravit hunc eundem librum; quapropter Bononiæ recusus est anno 1739. typis Lælii a Vulpe.

DE SANGUINIS NATURA ET CONSTITUTIONE Exercitatio Physico-medica. Venetiis ex typograph. Andreæ Poletti 1701. in 8.

DE SALIBUS Dissertatio Epistolaris Physico-Medico-

mechanica. Venetiis per Aloysium Pavinum 1705. *in* 8. In his duobus opusculis multa rei medicæ doctrina comparet, satisque ea declarant, quantos ferre labores debuerit Guglielminius, ut illam sibi pararet.

In Dissertatione *de Salibus* non minus Auctor se ostendit diligentissimum speculatorem venatoremque naturæ, quam perfectum Geometram. Totius vero operis fundamentum est prima principia Salis communis, Vitrioli, Aluminis & Nitri donata fuisse a Creatore certis immutabilibusque figuris, hasque individuas esse, si respiciatur vis determinata, quæ est in materia. Ubi de salium actione agit, geometrice & mechanice examinat proprietates harum figurarum, multaque nova ac curiosa in lucem profert. Hanc Dissertationem dedicavit Auctor Christino Martinellio, oppugnavit vero Gunterus Christophorus Schelamerus in eo, quem fecit libro *De Nitro*, edidítque Amstelod. 1709.

PRO THEORICA MEDICA adversus Empiricam Sectam Prælectio habita Patavii, dum a Mathematicarum scientiarum cathedra ad primam Theoreticæ medicinæ transitum fecit. Venet. ex typogr. Hieron. Albricii 1702. *in* 8.

JULII MONILJENI ad D. Franciscum Alphonsum Donnoli Profess. Patav. de ejus Bello civili medico Epistola.

EXERCITATIO de Idearum vitiis, correctione & usu ad statuendam & inquirendam morborum naturam. Patavii apud Josephum Coronam 1707. *in* 8. Iterum impressa fuit Lugduni Batavorum 1709. in 8. una cum utilissimo opusculo Ludovici Testi *de Sacharo Lactis*.

DE PRINCIPIO SULPHUREO Dissertationes, quibus Mantissæ loco accessit Dissertatio de Æthere, opus posthumum apud Andream Polettum 1710 *in* 8. Nuncupatur liber S. P. CLEMENTI XI. Hanc vero materiem dignam putavit Guglielminius studiis suis, quoniam frequentissime fit, ut medici sive in explicanda morborum natura, sive in remediis quærendis ad sulphura confugiant. Porro ille ita investigavit & perscrutatus est omnia, quæ pertinent ad declarandam naturam, figuras vim, & ef-

fe-

fectus rerum sulphurearum, ut laus ei summa debeatur. Non hanc minuit animadversio illa, quod Hombergius multa, quæ sunt in libro Guglielminii, jam ab annis 1705. & 1706. in lucem protulerit. Testis est enim locupletissimus Joannes Baptista Morgagnius, Guglielminium paullo ante quam Hombergius cogitationes suas in vulgus emitteret, omnem suam de principio sulphureo explicasse sententiam auditoribus suis in Gymnasio Patavino. Ex his Dissertationibus facile quisque intelliget, quantum adjumenti Geometria Medicinæ afferre possit.

EPISTOLÆ Amabææ Jo. Mariæ Lancisii & Dominici Guglielmini.

EPISTOLA ad Alexandrum Bonis de Quinquina Cortice, seu de ejusdem operandi ratione cum Dissertatione.

JOSEPHI DONZELINI Antonii filii Cossentini Symposium Medicum; sive Quæstio Convivalis de usu Mathematum in arte medica.

THEOPHILI ALETHINI Epistola, qua ex doctrina allata in recenti libro, cui titulus = De Moralibus Criticæ regulis compendiosa monita = ostenditur in celebri controversia inter clariss. Med. Marcellum Malpighium, & Joannem Hieronymum Sbaraleam, non illum, sed hunc fuisse provocantem, injurium contra sententiam in libro prædicto assertam. Quæ huc usque retulimus opera Guglielminii, in unum corpus collecta fuere, editaque Genevæ an. 1719. sumptibus Cramer & Perachon. Volum. II. in 4.

EPISTOLÆ sex Guglielminii ad G. Desnoues reperiuntur in libro, qui inscribitur = *Lettres de G. Desnoues &c. & de M. Guglielmini &c. & des autres savans sur differentes nouvelles decouvertes : a Rome 1706. chez Antoine Rossi.*

EPISTOLA HYDROSTATICA quædam ad Antonium Magliabechium: extat in primo volumine Actorum Bonon. Acad. p. 545. Inter opera inedita Guglielminii referuntur = *Il II. Tomo del Trattato della Natura de' Fiumi = De Febribus = & De methodo medendi.*

JOAN-

JOANNI BAPTISTÆ MORGAGNIO

ANGELUS FABRONIUS S. P. D.

SI cui forte nimis arrogans videor, quod ego homunculus tibi viro summo litteris meis obstrepere audeam, utar excusatione singularis humanitatis tuæ; quæ si minus probabitur, perinde ac si non liceret hominem vel humanissimum a gravissimis studiis, in quibus summo cum Reipublicæ bono occupatur, ne tantulum quidem deducere, dicam id quod feci, necessario fecisse, nec aliter facere debuisse. Nam cum scripsissem de Lancisio, & judicem aliquem quærerem hujus mei laboris in iis præsertim rebus, quæ spectant ad Anatomen, ceterasque physicas facultates, quibus immortalis ille vir magnam lucem attulit, ad quem nisi ad te confugere poteram? Constat enim inter omnes, perfectæ harum facultatum scientiæ perfectam adeo bene loquendi laudem multis litteris, & iis quidem reconditis & exquisitis adeptam te adjunxisse, ut merito & elegantium doctissimus, & docto-

rum

rum elegantissimus dicaris. Accedit, quod cum ea inter te, & summum illum virum intercesserit amicitia, cujus erit memoria sempiterna, jure quodam tibi debentur quæcunque ad ipsum pertinere possunt. Hæ caussæ sunt, vir præclarissime, quare ad te scribere, & hoc quid quid est mittere non dubitavi. Obsecro igitur te quantum tibi cordi esse potest decus carissimi illius capitis, ut si rem haud prorsus improbandam cognoveris [neque enim adeo sumus vecordes, ut nostras ineptias efferri velimus] stylo ne parcas. Adde, dele, corrige: quæ a te erunt, probabo omnia; nihilque appinges omnino, quod mihi tanquam arte positum in pavimento, ut ille ait, atque emblemate vermiculato videri non possit. Scripsi hanc Lancisii vitam eo animo, ut eam sociam darem aliis aliorum illustrium virorum, quas superiori anno elucubravi. Harum in numero sunt eæ, quibus imagines expressimus Eustachii Manfredii, & Francisci Mariæ Zanotti, in eisque haud pauca de te. Plura vellem separatim, & quia sic instituti nostri ratio postulat [propositum est enim nobis scribere vitas Italorum doctrina excellentium, qui nostra & patrum memoria flo-

rue-

ruerunt], & quo tu non modo, sed omnes gentes, & omnis etiam, si fieri potest, posteritas facilius intelligat, quanti apud me fueris. Fac, quæso, ut in hoc etiam auxilio tuo me adjuves, quod si, ut confido, a te impetravero, meam tuorum erga me meritorum memoriam nulla unquam delebit oblivio. Vale

Romæ Kal. Febr. MDCCLXV.

JOANNES MARIA LANCISIUS.



OANNES MARIA LANCISIUS natus est Romæ VII Kal. Novembris anno MDCLIV parentibus Bartholomæo Lancisio e Biturgia, & Anna Maria Borgiania Romana. Hæc jam e vivis excesserat, cum ductus est ad Urbem Veterem, ut ibi aleretur ab amita integerrima & optima fœmina, quæ virum cum amisisset, ibidem sedem fixerat suam. Mansit eo loco Joannes usque ad duodecimum ætatis annum, quo, amita jam fato functa, eum pater Romam perduxit. In Urbe nondum egressus e pueris ab hominibus Societatis JESU imbutus est politiorum littera-

rarum ac Philosophiæ studiis, in quibus tantos progressus fecit, ut non excurrere, sed evolare videretur. Ad divinarum quoque rerum scientiam, iisdem ducibus, ingressus est, sed ea vix dum a limine salutata, eo se contulit, quo suum illum deducebat ingenium. Itaque Medicinæ operam navare instituit, audivitque Hyacintum Altomarium Archigymnasii Romani Lectorem, ut ajunt, primarium; ac duodevigesimó ætatis anno post. Kal. Septembris lauream adeptus est. Hoc tempore cæpit ille dies ac noctes in Mathematicarum facultatum meditatione versari. Nam acutissimus adolescens vidit Medicam Artem sine physicarum rerum scientia aut nullam esse, aut in summis tenebris erroris atque inscitiæ necessario vagari; nec ad naturæ penetralia aditum patere posse nisi iis, qui sint Mathematicis rebus (1), ac præsertim Geometria instructi. Itaque postquam primos Clavii libros, nemine præeunte, cognovit, totum se dedit Vitali Jordanio, qui tum unus maxime excellere in iis doctrinis putabatur. Sic veluti quadam accensa face potuit facile, quo tendebat, pervenire; exercuitque se

præ-

præsertim in Anatome, Chimia, Botanica, nec non Naturali historia. Quo factum est, ut omnes, quæ tunc temporis Romæ celebrabantur, nobiliores Academias sive Medicinæ, sive Anatomes, ceterarumque naturalium scientiarum frequentare cœperit, in quibus cum strenue ac laboriose ingenium exerceret, palam omnibus fecit ingenitam quandam cupiditatem, qua ferebatur ad gloriam. Ad quam ut incenderetur quotidie magis, Sapientiam in tabula vivis expressam coloribus sibi comparavit. Sedebat hæc magnifico in Templo, quod positum erat in vertice montis: strenuos autem corona donabat, eos omnino despiciens, quos aut labor medio in cursu, aut voluptas, aut otii desiderium procul averterat. Cum in cognitione rerum medicarum hæc præclara fundamenta jecisset, nervos omnes contendit, ut Romæ in publicis Nosocomiis eo in studio quotidie exerceret se diligenter. Neque vero quoties obtulerat se occasio, privatim id agere intermittebat, eos invisens assidue, qui Joannis Tiracordæ diligentiæ, quem sibi ducem elegerat, & a cujus latere nunquam discedebat, valetudinem suam

com-

commendaverant. Qua quidem in re tantum adhibuit industriæ, ut cum omnia prudenter animadverteret, omnium etiam morborum historias in Ephemeride diligenter describeret. His ille rebus cum ad hominum famam pervenisset, accidit, ut munus illud vacaret, quod vocant Medici Adsistentis in Nosocomio S. Spiritus, annos postquam consecutus erat lauream Lancisius non amplius quatuor; quod ille, etsi competitores essent quamplurimi, facile obtinuit. Non enim illi opitulatus est aut ambitus, aut gratia, aut aliqua insignis Doctoris commendatio, quippe summa ingenii vis, qua præditus a natura erat, earumque rerum cognitio, quibus facultas hujusmodi continetur, eum ita commendabant, ut superiorem neminem, paucos pares haberet. Nihilo secius reliquis ille in Nosocomiis, quæ Romæ plurima sunt, sæpe aderat; & quod caput est, dum is ægrotos inviseret, etsi detentos variis morborum generibus, ubique idem erat Lancisius, ubique industria sua utebatur, illud assidue contendens, ut quem sibi proposuerat finem, citius omnino assequeretur. Veruntamen cum

fa-

ſatis videret quam lato in campo, nulliſque limitibus definito verſaretur, ut ſibi, ſuiſque ſtudiis diligentius caveret, alumni locum Piceno in Collegio obtinuit: quinquennium vero ipſum quod eo in loco conſumpſit, adeo navavit ſedulam operam medicis ſtudiis, ut potuerit viginti duo magna volumina conficere indicum earum rerum, quæ cognitionem, uſumque ſpectarent. Hæc inter Anatomes ſtudium, quod ei curæ maxime erat, eum quotidie diſtrictum habebat; quo prope fuit, ut in corporis cujuſdam ſectione infectus graviſſimo morbo vitam finierit. Sed integræ redditus valetudini, cum cooptatus fuiſſet in eum doctorum hominum cœtum, qui Congreſſus medicus appellabatur, quique habebatur apud Hieronymum Braſavolum, illius Antonii Muſæ nepotem, qui ſumma cum laude ſæculo XVI publice medicam facultatem fuerat Ferrariæ profeſſus, ſibi in illo cum ſcriptis aliis, tum ea præſertim lucubratione, quæ eſt *de Virgine quadam Callienſi mirabili vexata ſymptomate*, plurimum nominis comparavit. Qua re factum eſt, ut cum diſſecandi Magiſter in Archigymnaſio Romano munus dimiſiſſet, quanquam non

ita

ita pauci, iique instructi interioribus litteris provinciam hujusmodi spectarent, Joannem Mariam Lancisium, qui ei succederet, omnibus suffragiis elegerint Moderatores. Quo quidem in munere ita se gessit, ut non modo opinionem vicerit, quæ de doctrina ejus erat, sed etiam, si perpaucos exceperis, gloriam superiorum. Adjunxerat ille perfectæ rerum anatomicarum scientiæ laudem illam ut polite latine loqueretur, excellenterque pronuntiaret; quocirca quoties dicturus erat, magnus ad eum fiebat concursus non modo discere cupientium, sed etiam virorum doctrina insignium, quorum in numero sæpe fuerunt (qui quantique viri!) Marcellus Malpighius, & Lucas Tozzius. Neque est prætereundum, quod si forte eveniebat (evenit autem sæpissime) ut inter dicendum aliquis dignitate illustris homo ad eum audiendum accederet, interrupta oratione, eatenus dicta in aptam epitomen varie contrahebat (2), quod quidem nullo negotio præstabat, cum haberet divinam quandam memoriam rerum & verborum. Hoc tempore persuasit Archigymnasii Rectori, ut elegantius instauraretur Theatrum Ana-

tomicum, quo facto, idem in ingressu apposuit duo illa hemistichia: LACEROS JUVAT IRE PER ARTUS: NEC TE QUÆSIVERIS EXTRA: quorum alterum ex Claudiano, alterum ex nescio quo poeta desumpsit. Mansit ille in hoc munere duodecim annorum spatio. Nam anno MDCXCVI. suffectus est Jacobo Sinibaldo, qui θεωρητικὴν medicinam eodem in Lyceo docebat; ex quo demum loco venit ad docendam medicinam πρακτικὴν A. MDCCI. Sed maxime gloriosum fuit Lancisio, quod mortuo Francisco Santuccio, qui INNOCENTII XI. valetudini curandæ operam dabat, ei successit, cum nondum quatuor & triginta complesset annos, quod nescio an ulli contigerit. Cui provinciæ sane gravissimæ ille non modo cumulate satisfecit, sed cum arcana multa ei communia essent cum Pontifice, qui plurimum ejus studiis, ingenio, fidei, ac prudentiæ tribuebat, quotiescunque vellet, apud Virum illum sanctissimum patebat aditus. A quo auctus etiam dignitate (nam inter Canonicos Basilicæ Ss. Laurentii & Damasi adscitus fuit) ei omnia obsequii & benevolentiæ officia præstabat. At non ita multo post cum

IN-

INNOCENTIUS ad Superos evolaſſet, quippe qui facultatem, quam in deliciis habebat, Reipublicæ bono exercere cupiebat, Canonicatum dimiſit. Fuerat is jam ab anno MDCLXXXIX ſingulari voluntate Moderatorum adlectus in Collegium Archiatrorum Romanorum, quo quidem honore ita uſus eſt, ut non modo ornamento, ſed magno etiam adjumento eidem Collegio fuerit. Nam præterquamquod præſtitit ſe acerrimum propugnatorem ejuſdem jurium, non deſtitit, quibuſcunque rebus poſſet, Collegas juvare, ut is omnium parens videretur. Cum quotidie magis creſceret Lanciſius laude doctrinæ, huic non ſolum bis demandatum eſt munus Protomedici Romanæ Urbis, totiuſque Pontificiæ ditionis, ſed illum quoque eſſe voluit Cardinalis Palutius S. R. E. ut vocant, Camerarius, qui in laureis medicis tribuendis vices gereret ſuas in Archigymnaſio Romano: quod munus, Palutio defuncto, ejus ſucceſſor Joannes Baptiſta Spinula in Lanciſio firmavit; ac tandem CLEMENS XI ſentiens eundem potius tribuere provinciæ ſuæ ſplendorem, quam ab ea accipere, ne loco amplius moveri poſſet, edixit. Interim nobiliores,

quæ Romæ extant, ita sibi familias conciliaverat, ut iisdem assidue operam navans, Cæsaris etiam Legatos effecerit suos. Cumque nihil prætermitteret eorum, quæ ad exercendum ingenium conferre posse viderentur, cooptatus in Arcadum cœtum, quem viri interioribus litteris præditi, & poeticis studiis quam qui maxime addicti instituerant, Ersilii Macariani nomine est appellatus. Neque Romæ solum, sed etiam absentibus erat notus (3). Satis enim multa scripserat, quæ dimanaverant ad existimationem hominum. Ex his typis impressa sunt, *Humani corporis Anatomica synopsis* = *Anatomia per uso e intelligenza del disegno, ricercata non solo sugli ossi e muscoli del corpo umano, ma dimostrata ancora sulle statue antiche più insigni di Roma* = *Dissertatio de ratione philosophandi in in arte medica ad Senensem Phisiocriticorum Academiam* = *Epistola ad Raymundum Vieussenium*, qua probat sal acidum in sanguine contineri, & extrahi posse, haud posse tamen (hæc duo ille quæsierat) veris certisque argumentis statui quam universe proportionem habeant inter se partes sanguinis; ac *Epistolæ duæ ad Felicem Ada-*

Adamum Mulebancher de molis, *deque seminis vermiculis*, quæ relatæ sunt in secundum volumen operum Antonii Valisnerii (4). Quibus ille rebus cum sibi famæque suæ consuluisset, INNOCENTIUS XII. morbo quodam implicitus, ex quo suprema fata portendebantur eidem, hunc accersivit: eodem vero e vivis erepto, alter ex duobus Medicis, qui Cardinalibus in Conclavi degentibus operam præstant, electus est Joannes Maria. Hic multum otii cum nactus esset, in eo languere noluit; quocirca a primis diebus cœpit cogitare, quo posset genere litterarum Reipublicæ prodesse. Inter multa, quæ ei occurrerunt, argumenta, illud de Aneurysmatibus plane dignum existimavit, in quo studium suum poneret. Nam videbat utilissimum hunc scientiæ medicæ locum multis obstructum esse difficultatibus, & a nemine, nisi leviter admodum ad eam diem fuisse tractatum. Cum opus in manus sumpsisset, & multa adumbrasset unius mensis spatio, ecce ad summum dignitatis fastigium evehitur Cardinalis Albanius; is qui CLEMENTIS XI. nomine appellari voluit, qui cum esset intelligens ingeniorum existimator, eisque sem-

ſemper debitos habuiſſet honores, ſtatim Lanciſium elegit, cui valetudinis ſuæ curam committeret. Hoc munere auctus ille, fore ſibi otium exiſtimavit ad ea, quæ inchoaverat, brevi perficienda. Sed falſo. Nam qui locus quietis & tranquillitatis fore plenus videbatur; in eo maximæ moles moleſtiarum extiterunt. Cœpit enim ſummus Pontifex variis affligi morbis, quem ut integræ valetudini redderet, incredibile eſt quantum diligentiæ ac ſtudii poſuerit Lanciſius. Eo acceſſerunt alii aliis temporibus graves publici caſus, qui ut Pontificis animum maxime perculerunt, ſic Lanciſium occupatum impeditumque tenuerunt. Fuerunt hi magna Romæ in primis frequentia repentinarum mortium; contagiones malorum, quæ a paluſtribus aquis profectæ nonnullis præſertim Romani agri oppidis ſolitudinem fere intulerunt; ac demum bovilla peſtis, quæ tota Pontificia ditione fœde vagata eſt. Hinc Lanciſius juſſu Pontificis, qui nihil reliqui faciebat, quod ad proſpiciendum Reipublicæ ſaluti pertineret, argumentum ſumpſit trium operum, quæ ſingula breviter, inſtituti noſtri tenendi cauſſa, referemus.

mus. Inſcripſit primum *De ſubitaneis Mortibus*, idque in duos libros diviſit, quorum in altero de genere univerſo agit repentinarum mortium, qui locus a recentioribus deſertus poſt detectam præſertim circulationem ſanguinis lucem docti alicujus ſcriptoris deſiderabat, in altero perpendit cauſſas & principia, unde his temporibus tot homines hujuſmodi mortium fata peremerunt. Profecto his libris nihil poteſt eſſe utilius iis, qui aliquam cupiditatem habent notitiæ rerum medicarum. Nam ſolerter adeo, docte, exquiſiteque enucleat vitæ, ac mortis cauſſas, omnia ex mechanica ſolidorum ſtructura, fluidorumque temperatione, alterniſque motibus deducens, omniaque accuratiſſimarum diſſectionum experimentis comprobans, ut in illis univerſam propemodum medicinam contractam eſſe haud immerito poſſis dicere. Quam vero accepti fuerint, hoc erit indicio, quod ſtatim a ſummis viris maxima facta eſt Lanciſio gratulatio, e quibus nominaſſe ſuffic iat Lucam Tozzium, Dominicum Guglielminium, & Bernardinum Ramazzinium (5), quibus cum fuiſſet probatus, non poterat dubitare futurum, ut ab omnibus pro-

baretur. Eo accessit quod brevi duorum annorum spatio quater typis impressi, nec ita multo post in Gallicum sermonem conversi fuerunt. Nec minus homines, qui poterant judicare (6), expletum omnibus suis partibus prædicarunt opus *de Noxiis Paludum effluviis*, quod in duos libros pariter distribuit. Demonstrat in primo cælum propter vapores stagnantium aquarum grave ac pestilens fieri, caussas quærit quare hæ stagnantes aquæ maxime æstivo tempore corrumpantur, diligentissime in naturam inquirens horum ipsorum vaporum, duo genera esse statuit, alterum animatum formatumque in figuram animantium, inanimatum alterum, eaque figura carens; simul & ostendit quomodo in humanum corpus perveniant, eique noceant, deinde gradum facit ad remedia, quibus iidem palustres vapores vel omnino tolli, vel saltem temperari, minui, aut quo minus noceant, intercipi possint. In secundo vero libro historiam persequitur contagionum, quæ Romam, Urbem Veterem, Balneoregium, Pisaurum, & Ferentinum afflixerant, quæque maxime memorabiles fuerunt, in eaque multa etiam admi-

scet

ſcet ex intima medicina. Eſt locus in primo libro, qui pertinet ad ortum inſectorum, ibique Lanciſius non dubitanter affirmat ranas & bufones ova in tellure deponere, eaque arida in pulvere ſepulta, ſi ſint æſtivis pluviis madefacta, improviſo fetus fundere. Sed cum ille poſtea animadvertiſſet minime id conſentire cum iis, quæ diligentiſſimi naturæ inveſtigatores Franciſcus Rhedius, & Antonius Valiſnerius obſervaverant, ex quibus compertum habemus ea animalia ova in aqua deponere, ſcripta epiſtola ad eundem Antonium Valisnierum, quam inſeri curavit in XXIX volumine Ephemeridum Italorum Litteratorum, voluit omnibus patefacere erratum ſuum. Noverat enim, & ſæpe in ore habebat præclaram illam Celſi ſententiam, qui laudans Hippocratem, quod ingenue fateri non dubitaverit deceptum ſe a cranii ſuturis fuiſſe, dixit id feciſſe *more magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium: Nam levia ingenia, quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt. Magno ingenio, multaque nihilominus habituro, convenit etiam ſimplex veri erroris confeſſio, præcipueque in eo miniſterio, quod utilitatis*

cauſ-

caussa posteris traditur, ne qui decipiantur eadem ratione, qua quis ante deceptus est. Scripsit *de Bovilla Peste* (7) quam plenissime scribi res illã potuit. Sic enim omnia de origine & progressu hujus mali, illatis detrimentis, consiliis Magistratuum, adhibitis remediis, naturalibus caussis & effectibus in hoc libro notata sunt, ut nihil in eo non appareat, & facile existimari possit quam esset Lancisius veterinariæ quoque medicinæ peritus. Tractaverat hoc idem argumentum, cum cœpit morbus furere in Patavino agro, epistola quadam Italica ad Antonium Borromæum Clericum Regularem, mox Justinopolitanum Episcopum, quæ epistola unius anni spatio bis impressa fuit. Cum vero suus Auctor eam Latinam fecisset, memorato libro *de Bovilla Peste* adjunxit, in quem etiam intulit opusculum a se confectum *de Epidemia equorum*, quæ Romæ fuit anno MDCCXII. Scribebat Lancisius opus *de Noxiis Paludum effluviis*, cumque ingressus fuisset dicere de cælo Romano, vidit plura se habere cognitione dignissima, quæ rem illam attingerent, quam ut in alterius argumenti libro tractari possent. Putavit igitur hac in

in re feparatim fibi elaborandum, ceterifque fepofitis, brevi opus confecit, quod infcripfit *de Nativis, deque adventitiis Romani Cœli qualitatibus*, in quo omnia quæcunque vel lectione librorum, vel fcientiæ perveftigatione, diuturnoque ufu, quem in hoc cælo habuit, confequi potuit, complexus eft. Volens itaque oftendere cælum Romanum naturaliter falubre effe, hoc comprobat ab Urbis fitu, a ventis, qui in ea dominantur, ab aquis, quibus ipfa Urbs utitur, a telluris fertilitate, ab habitu & colore diuturnaque vita incolarum. Fieri tamen poffe docet, ut propter vehementes Septentriones ventos, & interdum etiam Auftrales, ac præfertim propter vapores ftagnantium aquarum hanc fuam naturalem falubritatem amittat. Quæ quidem vir præclara eruditione & doctrina fic profequitur, ut ab ultima origine Urbis ad poftrema ufque tempora hiftoriam, ut ita dicam, contexat viciffitudinum, quas habuit cælum (8) Romanum. Huc quoque intulit hiftoriam Epidemiæ rheumaticæ, quæ per hiemem anni MDCCIX. vagata eft, quod a re propofita haud alienum effe duxit. Sane hujus libri confectio perjucunda

da Lancisio fuit consideranti magnæ illum fore utilitati Urbanis præsertim Medicis. Scite enim Hippocrates, *necesse esse eos in tenebris versari, qui probe non noscunt situm, ventos, aquas, cibos, aliaque multa tum naturalia, tum fortuita locorum, in quibus medicinam faciunt*. Inter hæc Lancisius alia quoque ingenii monumenta litteris mandavit. Scripsit Dissertationes quasdam *de Lumbrico lato*, quas misit ad Medicos præstantissimos Antonium Pacchionium, & Joannem Dominicum Bianciardium. Vetus erat opinio jam usque ab Hippocrate ducta, eaque medicorum omnium confirmata consensu, corpora illa, quæ nunc fasciæ instar depressa, nunc cylindri forma figurata intestinis adhærent, eorumque longitudinem plerumque æquant, inter insecta annumeranda esse. Hanc plane evertit Lancisius tum experimentis, tum rationum pondere; ostenditque nil aliud esse hujusmodi corpora nisi polypos quosdam ex succo concretos. Quantum itaque Medicina debet Malpighio, aliisque solertibus viris, qui de cordis polypo scripserunt, hominesque docuerunt, ne a falsis vasorum sanguineorum vermibus fallantur, tantundem Lanci-

cisio debet, qui hisce Dissertationibus effecit, ne amplius a vermi simillimis intestinorum polypis decipiantur. Scripsit & epistolam *De humorum secretionibus, ac praecipue de bilis in hepate separatione* ad Joannem Baptistam Blancum Hepaticae Historiae auctorem, de qua quale judicium fieri debeat, juvat viri summi Morgagnii verbis referre. *Ex hac epistola*, inquit ille in Adv. Anat. III. animad. XXIX. *quamvis incredibili humanitate scripta, Lectores tamen attenti facile intelligent virum gravissimum, Historia Hepatica perlecta, nihilominus discrte ea ipsa affirmare, quae in illa negantur. Non enim credit nihil in hepate Malpighium nisi nomen glandulae innovasse, sed veras glandulas, veros glandularum folliculos adhuc agnoscit. Non credit lymphatica vascula in extima solum superficie capsulae subsistere, sed censet lympham, quae antea bilis particulis intermixta erat, absorbere. Non credit in primis, id quod in Historia maxime inculcatur, ea ratione bilem secerni, quam Auctor proposuerat, sed ipsius diligentiam non obscure desiderat, imo apertissime duo illa, in quibus totam explicandae rei rationem posuit, sibi*

bi nullo pacto probari posse dicit, ac minime decere diligentem solertemque Anatomicum in rebus hærere hujusmodi. Quid multa? Hominem cogit non modo ... ut quæ demonstrata a se esse jactaverat, vix pusilla conjecturæ face evadere agnoscat, sed ut postquam significavit velle se invios quatere ulterius recessus, incipiat ab iis ipsis, quæ incassum scripserat in Historia, iterandis. Mire Lancisii ingenium, doctrina, atque eruditio elucent in Dissertationibus, quas *de Physiognomia, & de Sede cogitantis Animæ* fecit rogatu Joannis Fantonii viri clarissimi, ac secum vetustate amicitiæ, & studiis iisdem conjuncti. (9) Harum in prima, refutata vanitate levitateque eorum, qui futura se prædicere profitentur a manuum, & frontis lineis, ex his tamen corporis constitutionem, caussasque naturales, & antecedentes nostrarum voluntatum, & appetitionum nosci posse physicis argumentis & rationibus comprobat. Ex qua impressa notione illud nos utilitatis capere debere, ut accommodata disciplina atque doctrina ad uniuscujusque naturam, facilius bonam confirmemus, vitiosam corrigamus. Quamvis enim extirpari & funditus tol-

tolli nequeant naturales illæ cauſſæ, ob quas alii in alia propenſiores ſunt, ſic tamen comprimi & edomari ſtudio & diligentia poſſunt, ut nullum pravitatis veſtigium appareat: utiturque opportune exemplo Socratis, in quem cum multa in conventu, ut narrat Cicero, vitia collegiſſet Zopyrus phyſiognomon, deriſus eſt a ceteris, qui illa in Socrate vitia non agnoſcerent, ab ipſo autem Socrate ſublevatus eſt, cum illa ſibi ſigna ineſſe, ſed ratione a ſe dejecta diceret. Expoſiturus in ſecunda quæ idem, duce Anatome, de ſede & loco cogitantis animæ ex abditis naturæ receſſibus depromſerat, ait verſari ſe in re difficili, ac multum & ſæpe quæſita, profertque dictum Platonis, qui in Alcibiade inquit: *Oculus ſe ipſum ſi videre vult, in oculum intueri debet, proinde etiam anima, ſi ſe ipſam noſcere vult, ut animam intueatur oportet*: Deinceps tranſit ad examen ſententiæ Carteſii, qui animam in glandula pineali locavit, aitque præſtantiſſimum hunc philoſophum ex vero intellexiſſe domicilium perceptionum cogitationumque in ea cerebri parte conſtituendum eſſe, quæ unica ſit, & in quam

ge-

gemina externorum ſenſuum organa concurrant; non vidiſſe tamen, ut pote obſervationibus anatomicis deſtitutum, alium in cerebro locum, in quem illa magis conveniant, huncque eſſe corpus calloſum. Quid ſit porro hujuſmodi corpus calloſum, ejuſque partes & formam diligentiſſime deſcribit. Haud pauca etiam explanat ad glandulam pinealem ſpectantia, parteſque quæ circum eam ſunt, hæcque non de medio ſumpta, ſed diuturna obſervatione a ſe quæſita; omninoque ſcripto hoc Lanciſius plurimum luminis attulit cerebri aſſequendæ naturæ, qui locus in Anatomica ſcientia difficillimus exiſtimatur. Interim Ludovicus Ferdinandus Marſilius vir non minus doctrina, quam bellica virtute inſignis Diſſertationem *de Generatione Fungorum* ſub ipſis pellibus a ſe confectam ad Lanciſium miſit. Huic pergratum fuit munus; utque paria paribus reſponderet, eidem longiſſimam epiſtolam ſcripſit, in qua poſtquam illum ſummis laudibus extulit, oſtenditque naturæ ſtudium amplìſſimo quoque viro dignum habitum ſemper fuiſſe, ſuſcipit tractandam hanc eandem materiem generationis Fungorum. Pluribus comprobat

bat fungos proprium ſemen non habere ; arboreos ex ſucco, quo ipſæ arbores aluntur, manare ; pratenſes, ceteroſque ex corio, fruticibus, foliis, fruſtis libri, aut corticis, ligni, radicum : quæ omnia quamvis corpora mortua dicantur, habent tamen in ſe compreſſum ſuccum, qui cum nactus ſit materiam qua ſolvi & ali poſſit, ita efficiat morboſas haſce plantas. Sic enim Auctor fungos appellat, eo quod nunquam non a plantarum morbis principium ducant. Quo vero modo gignantur, unde illorum conformatio & textura, varia multiplexque natura, eleganter non minus quam docte explicat. Quædam etiam attingit de lapide illo, quem dicimus *pietra fungaja*, oſtenditque haud eſſe verum lapidem, ſed concretionem quandam radicum, lapillorum, ſuccorum, ſeminum, terræ, ſimiliumque rerum. Plurimum ſane debent rerum naturalium ſtudioſi Marſilio, & Lanciſio quod originem fungorum illuſtraverint (10). Nam antea cognitio hæc fere latebat obſcuritate involuta naturæ, idque intelligi poteſt ex reſponſo, quod a Marcello Malpighio præceptore ſuo tulit idem Marſilius, cum aliquando

illum de hac re interrogasset : *se diu multumque in ea inquisitione elaborasse, sed modicam subesse spem deprehendendi hanc naturæ methodum*. Eodem tempore quo hæc vulgata sunt, edidit Lancisius opus, quod inscribitur: *Animadversiones in Plinianam Villam nuper in Laurentino detectam*; illud quidem elegans variumque, in quo & antiquitatis se litterate peritum ostendit, multaque retulit ad reconditiorem physicam, & ad naturalium rerum historiam pertinentia. Huc illa spectant quæ de multiplici aggestione, ac de crebris arenarum tumulis, qui passim in Tyberis ripis visuntur, deque stirpium, herbarumque in iis ortu disseruit. Hæc enim non leve disputandi argumentum præbebant. Elucubravit Lancisius libellum hunc, cum feriatis diebus ruri esset in eodem Laurentino. Homo enim industrius non minus otii quam negotii rationem extare volebat. Inscripsit vero Marcello Sacchetto Ordinis Hierosolymarii apud Pontificem M. Oratori, eo quod ipse rudera hujus celeberrimæ Plinianæ Villæ septa undique & vestita terra, vepribus & dumetis primus omnium

nium detexit. Sed maxime in eo laudandus est Lancisius, quod non contentus prodesse civibus suis, qua opera in medicina facienda, qua voce in docendo, voluit etiam eorum bono Bibliothecam omni librorum copia, sed præsertim medicorum, mathematicorumque refertissimam apud Nosocomium S. Spiritus dedicare. Id fecit anno MDCCXIV. XII. Kal. Junias, quo die narrabat ille cunctis lætatum se fuisse lætitiis. Huc enim spectarunt ingentes curæ, quas posuit viginti fere annorum spatio in optimis comparandis libris, ac diligentia (malevoli, qui tanto viro deesse non poterant, avaritiam appellabant) quam adhibuit, ut esset unde suppeditarentur eidem Bibliothecæ sumptus necessarii sive ad emendos libros, sive ad stipendia Præfecto, ceterisque ministris solvenda. Huic dedicationi magnum decus fuit præsentia CLEMENTIS XI, quem comitabantur viginti Cardinales, ac magna Præsulum frequentia. Ille cum Lancisium gravissimis verbis laudasset, eidem tribuit jus quoddam exigendi in singulos annos scutata Romana centum, deditque etiam facultatem illud in quem vellet, transferendi. Hic vero bene-

ficentissimo Principi eo ipso die vulgatos commentarios suos ad Tabulas Anatomicas Bartholomæi Eustachii lubens meritoque consecravit. Latuerant hæ Tabulæ diuturna in obscuritate; & quamvis in iis perquirendis Malpighius, aliique docti homines multum diligentiæ posuissent, inveniri tamen nunquam potuerant. Lancisius etiam superioribus annis & Romæ, & Septempedæ, quarum Urbium hæc patria, illa quasi theatrum fuit ingenii Eustachii, studiose illas investigaverat tum sua sponte, tum exhortatione præsertim incitatus amicissimi sui Dominici Guglielminii. Sed frustra. Demum cum incidisset in epistolam quandam Matthæi Pinii Urbinatis discipuli ejusdem Eustachii, qua declarabat vocatum ipsum fuisse in societatem hujus gloriosi laboris, hæc ei suspicionem movit, eas Tabulas Urbini latere apud heredes Pinii. Qua de re cum sermonem habuisset cum Summo Pontifice, ultro hic in se recepit, fore sibi curæ, ut perquirerentur. Sic res habuit optatum exitum, inventasque Tabulas cum accepisset Clemens, illas Bibliothecæ Lancisii donavit. Quo gratissimo munere hic provoca-

tus,

tus, alacrior factus est ad easdem explicandas. Sed cum propter multas, quibus distinebatur, occupationes, videret hoc onus haud posse se solum sustinere, adjunxit sibi socios Antonium Pacchionum, & Franciscum Soldatum viros in rebus anatomicis apprime versatos. Sæpe etiam in consilium adhibuit Joannem Fantonium, & Joannem Baptistam Morgagnium, cujus quoque latinam epistolam operi præposuit, in qua pluribus differitur, quam bene meritus de Anatome sit Eustachius, quæque propria & peculiaria dicere debeamus ejus inventa, licet ab aliis post illum prodita fuerint (11). Redeo ad Bibliothecam Lancisii: in qua nobilitanda cum ille nihil prætermitteret, locum in ea delegit Academiæ a se institutæ, juventutis exercendæ caussa in studiis Medicinæ, Chirurgiæ, & Anatomes; huncque instrumentis ad experimenta capienda pulchre instruxit. Habita hæc Academia primum est VII Kal. Majas a. MDCCXV dixitque in ea præclaram illam Dissertationem, quater usque brevi tempore impressam, *de Recta medicorum studiorum ratione*, in qua perfecti Medici speciem & formam adumbravit (12).

 Et

Et primo quidem differit de artibus, quibus instructus debet esse Medicus, deinde persequitur quæ in his artibus cavenda ac circumspicienda sint, ut facilius ac securius quo tendit, pervenire possit. Hoc eodem tempore ille multum operæ ponebat in Metallotheca Michaelis Mercati, quæ cum centum viginti annis in tenebris jacuisset, tandem Florentiæ reperta, a Clemente xi. comparata, a Lancisio ejusdem Pontificis jussu notis illustrata anno mdccxviii. lucem aspexit. Sunt quidem in his notis plurima cognitione dignissima, eaque commemorare necesse erat, propterea quod Mercatus, vir ceteroquin doctissimus, in ea incidit tempora, quibus Historia Naturalis infinita obsita erat errorum multitudine. Quos ita notavit Lancisius, ut facile intelligi posit, quam multum esset in hac facultate versatus (13). Vocavit vero in societatem hujus laboris Petrum Assaltum, doctum virum, & multarum linguarum peritum, quo cum vivebat conjunctissime. Nam ad maximas ejus occupationes accessit, quod his temporibus non optime valebat, quodque Urbinum anno mdccxvii. comitatus

tatus eſt Alexandrum Albanium ad lauream in utroque jure accipiendam. Fecit idem quatuordecim annos ante cum illius fratre Annibale: nemini enim libentius ſuorum curam concredebat CLEMENS. Illo priori itinere cum Bononiam uſque perveniſſet, pro eo quod ejus nomen magna erat apud omnes gloria, invitatus fuit a litteratis viris Bononienſibus, ut de aliqua re, quæ ad phyſicam pertineret, verba faceret. Cumque ſe non nolle homo moribus facillimis reſpondiſſet, dicitur ea copia orationis, ubertateque doctrinæ locutum fuiſſe, ut omnes ad magnam admirationem traduxerit. Vocem quoque illius eruditam audire voluerunt Urbinates, duabuſque recitatis Italicis Orationibus in Academia Aſſorditorum priori probavit, *glorioſius ac utilius eſſe vivere quam mori pro patria*, altera, *vere beatam eſſe illam civitatem, ad quam amplificandam ornandamque omnes cives conſpirent*. Has inter tot occupationes Lanciſius nunquam cogitationem ſtudiumque dimiſit ad umbelicum perducendi opus *de Motu Cordis & Aneuryſmatibus*, quod, ut ſupra demonſtratum eſt, ab anno MDCC. inſtituerat, quodque avi-

 diſ-

dissime expectabatur. At postquam multum sudoris ac laboris in illo consumpsit, doluit vitam sibi prius eripi, quam illud edolare atque in vulgus edere potuerit. Non tamen luce caruit. Nam commendatum Assalto Romæ anno MDCCXXIV. impressum est, deindeque Neapoli, Venetiis, Lugduni Batavorum, iterumque Romæ anno MDCCXLV. apud Palearinos recusum. Tanta & tam præclara judicia a doctis viris facta sunt de hoc opere, quo maxime Anatomes & Clinica illustratur, ut ad has laudes quid addi possit, non videam. Laudavit & Morgagnius, qui mihi unus instar est omnium, non uno in loco scriptorum suorum; & in epistola XVIII. §. V. *de sed. & caus. morb. &c.* ait, eidem nos ignoscere debere, si inter multa præclara pauca haud omnino probanda contineat, quoniam extrema manus ei non accessit. Inter eas quas recensuimus, hujus libri editiones multum præstat omnibus Paleariniana, quam curavit magni nominis Medicus Antonius Leprottus, exornavitque inter cetera duabus Dissertationibus Lancisii ad memoratum Morgagnium, quarum una est *de Vena sine pari*, altera de *Gangliis*

Ner-

Nervorum. In priori poſtquam ſtatum, ſtructuram, uſumque illius venæ expoſuit, quatuor quæſtiones ſolvit, quas idem Morgagnius poſuerat, quid ſcilicet cauſſæ ſit, cur quidquid ſanguinis ex arteria magna per intercoſtales pleraſque effluit, id omne non per totidem venulas, quæ in cavam pari ordine deſinant, in hanc refluat? Cur non in cavæ inferiorem truncum redeat, ſed in ſuperiorem? Cur iſtuc non per duas venas, ſingulas videlicet more inſtitutoque naturæ ab ſingulis lateribus poſitas, ſed per venam ſine pari inferatur? Cur demum hujus ipſius venæ truncus non a ſiniſtris, ſed a dextris prorepat? Quæ ſic præſtitit Lanciſius, ut non modo obſcura praeclare illuſtraverit, ſed etiam tum vetera quædam ingenioſe reſtituerit, tum nova plura obſervationibus conſtantibus, & diligentiſſimis ſubnixa in medium attulerit. In poſteriori vero Diſſertatione explicatis iis, quæ generatim pertinent ad ſitum, numerum, & figuram Gangliorum, eorundem ſtructuram, vim, uſum, ac morboſas affectiones diligenter inveſtigat aperitque. Neque ſilentio prætereunda ſunt, quæ inter ſe hi ſummi viri

viri amice, erudite, eleganterque disputarunt de morte Cleopatræ. Caussa disputandi hæc fuit. Forte animadvertit Morgagnius ad morientis Cleopatræ simulacrum, quod Metallothecam Mercati ornabat, hæc adnotasse Lancisium: *In brachio aspis spectatur, cujus morsu Cleopatram occubuisse vulgaris fert opinio; quamvis alii, epoto veneno, mortem sibi conscivisse contendant*. Suspicatus Morgagnius, extare fortasse aliquem ignotum sibi scriptoris locum, qui hoc tradidisset, voluit illum ex Lancisio elicere. Itaque, scriptis ad eum duabus epistolis, multa protulit, quæ vulgarem & communem sententiam confirmare videbantur. Habuit quæ huic sententiæ totidem litteris opponeret Lancisius, nihilque profecto omisit, quod probare posset Cleopatram veneno fuisse consumptam. Sicque cum omnia paria sibi cum Morgagnio esse viderentur, ab eo postulavit, ne de hujusmodi re amplius inter se contenderent. Quod & fecerunt. Placuit vero P.M. Clementi XI, ut quæ ab iis disputata fuerant, in Appendicem ad Metallothecam referrentur. Illud quoque honorificentissimum Lancisio fuit, quod Hei-

Heisterus arbitrum illum statuerit acerrimæ sane controversiæ ortæ inter se, Andrejum, & Volusium de origine cataractæ. Antiquissima erat opinio, oriri cataractam a membrana in humore aqueo concreta. Ab hac primi descivervnt Brissæus, & Antonius Metrajanus, viris equisque contendentes, unam esse caussam efficientem cataractæ humorem crystallinum opacum. Placuit vero Heistero medium quiddam tenere, docuitque, humorem crystallinum esse quidem caussam naturalem hujus ocularis morbi, sed non unicam. Fieri enim posse ajebat, ut etiam a pellicula gigneretur, sed id raro evenire, neque evenisse putandum, nisi per experimenta probaretur inesse oculo tales membranas. Sic novam gloriatus est de cataracta in medium attulisse sententiam. Huic bellum indixere Andrejus, & Volusius, neque contenti rationibus dimicare, injurii quoque & contumeliosi in adversarium esse voluerunt. Hoc pugnæ genus vehementer vituperavit Lancisius. Nihil enim illo mitius fieri poterat. Ut vero Heistero non solum, sed etiam Garellio morem gereret, varias observationes habuit, dili-

gen-

genterque descriptas ad eosdem anno MDCCXVIII. misit, ut ex iis intelligi posset, quale judicium de summa controversiæ, duce illa rerum omnium magistra experientia, faceret (14). Novissime Lancisius vulgavit opusculum, quod instituit ad Joannem Olivam *De natura & præsagio Dioscurorum nautis in tempestate apparentium*, in quo duo potissimum inquirit, unde ortum habeant hæ Φάσεις, quæ sæpe noctu in maximis tempestatibus nunc specie unius flammei globi, nunc duplicis, aut numero plurium in apice præsertim mali conspiciuntur; & unde fiat ut interdum futuram tranquillitatem ex vero portendant. Hoc argumentum tractandum ille sumpsit, ut esset sibi levamento in maximo labore, quem in opus de Aneurysmatibus impendebat. His ab eo editis ingenii monumentis, quibus maximam materiem ex rebus per se investigatis ad rerum occultarum cognitionem attulit, omnia præclaro ordine disponens, omniaque explicans, si non semper plane pura & candida, satis tamen polita litterataque oratione, cum illud Ciceronis sibi persuasum haberet, *mandare quenquam litteris cogitationes suas, qui*

eas

eas nec disponere, *nec illustrare possit*, *nec delectatione aliqua allicere lectorem*, *hominis esse intemperanter abutentis otio*, *& litteris*, incredibile est quantam apud nostros homines non solum, sed etiam apud exteros consecutus sit famæ celebritatem. Augebat hanc cogitatio illa, quod tanta esse solet in tuenda Principis valetudine occupatio, ut non sinat in aliam curam incumbere. Declaravit hoc qui expertus fuerat Lucas Tozzius quadam epistola ad ipsum Lancisium, in qua hæc sunt? *Siquidem tu etiam*, *vir eximie*, *nosti quo tempore Pontificiæ valetudini tuendæ istic præeram*, *non solum nullum mihi fuisse scribendi otium*, *sed nec ea*, *quæ a me olim incboata fuerunt*, *tranquillo animo versandi*; confirmavitque exemplo suo, ut de ceteris taceam, Malpighius, qui per totum illud tempus, quo huic muneri vacavit apud INNOCENTIUM XII, omnem cogitationem abiecit aut interrupta contexendi, aut absolvendi instituta. Atque ea cum scriberet Lancisius, nemo poterat existimare, hunc minus attentum ac diligentem se præbere in conservando Pontifice, cum vere gloriari potuerit, adeo se pro illius valetu-

dine

dine viginti fere annorum ſpatio excubaſſe, ut quam ægram accepit, ſi non firmam, bonam tamen reliquerit. Tali modo cum ille ad ætatis annum ſextum & ſexageſimum perveniſſet, & non minus gratia, fortunaque, quam fama creviſſet (multam enim pecuniam præſertim ex curationibus nobilium & divitum fecerat) & quanquam tenui, bona tamen uſus eſſet valetudine, nactus eſt morbum, quem is ſtatim, aliique Medici eſſe graviſſimum periculoſiſſimumque, ſenſerunt. Erat enim febris acuta, quam comitabantur dolor in dextro hypochondrio poſticam partem verſus, ſumma faucium, linguæ ac palati ariditas, ut vix loqui poſſet, vomitus bilioſi, aliaque inſtantis mortis ſigna. Cum fruſtra adhibita eſſent remedia, & vis morbi magis magiſque creſceret, quarto die poſtquam decubuit, rite, & ſumma cum religione omnibus iis perſolutis, quæ divinitus ad expiandos animos, & placandum Deum ſunt inſtituta, naturæ debitum reddidit XIII. Kalendas Februarias, hora XII. ann. MDCCXX. Dici non poteſt quantum, ejus diſceſſu dolorem acceperint non modo amici, ſed univerſa civitas. In primis doluit

Sum-

Summus Pontifex, qui, allato ſibi nuntio de illius morte, abdidit ſe in cubiculum, omnibuſque per eum diem aditum ad ſe interclusit. Perdiderat enim virum, cujus fide ac prudentia multis maximiſque in rebus utebatur, & in cujus ſuavitate & ſermone magnum levamentum reperiebat. Mortui corpus balſamo peruntum elatum eſt ad S. Spiritus in Saxia, ibique cum pompa funeris ſepultum. Tumulo vero hoc elogium inſcriptum eſt.

D. O. M.
JOHANNIS MARIAE LANCISII ROMANI
MORTALES EXUVIAE HIC JACENT
CUI PRAETER ILLUSTRE ARCHIATRI MUNUS
APUD INNOCENTIUM ET CLEMENTEM XI. S. M.
PONTIFF. XX. ET AMPLIUS ANNOS AB EO
PRAECLARE GESTUM
SCRIPTA INSTITUTA BIBLIOTHECA
ARCHIHOSPIT. S. SPIRITUS HAEREDITATE DONATUM
AETERNAM PIETATIS ET DOCTRINAE LAUDEM
COMPARARUNT
OBIIT MERITIS QUAM ANNIS CUMULATIOR
DIE XX. JAN. MDCCXX
ANNUM AGENS LXV. M. II. D. XXV.

He-

Heredem, ut hic declaratur, teſtamento reliquit Noſocomium ejuſdem S. Spiritus, ea inter ceteras lege, ut novum ibidem excitaretur valetudinarium curandis mulieribus. Id tamen pluribus gravibuſque de cauſſis effici haud potuit. Quapropter Benedictus xiii. deſtinatam huic rei pecuniam Noſodochio S. Gallicani attribuit, ejuſque in ædibus ſtatui placuit marmoreum Lanciſii ſimulacrum cum hac inſcriptione.

JOANNES MARIA LANCISIUS ROMANUS
SUMMORUM PONTIFICUM INNOCENTII XI.
ET CLEMENTIS XI.
INTIMUS CUBICULARIUS ET ARCHIATER
CUM NOSOCOMIUM S. SPIRITUS IN SAXIA
UBI PUBLICAM BIBLIOTHECAM DEDICAVERAT
TESTAMENTO HAEREDEM SCRIPSISSET
UT NOVUM IBIDEM PRO AEGROTANTIBUS
MULIERIBUS
VALETUDINARIUM EXCITARETUR
PLURIBUS TAMEN GRAVIBUSQUE DE CAUSIS
SUPREMAE ILLIUS VOLUNTATI LOCUS ESSE
NON POSSET

BE-

BENEDICTUS XIII. P. M.
CUNCTIS RITE MATUREQUE DISCUSSIS
HABITA ETIAM AEGROTANTIUM MULIERUM RATIONE
NE PIA TESTATORIS VOTA IRRITA ESSENT
HAEREDITATIS PARTEM TRICIES SESTERTIUM
HUIC OPERI ADDIXIT
AC LIBERALITATIS EJUS
IN HOC PERENNI PONTIFICIAE PROVIDENTIAE
MONUMENTO
MEMORIAM EXTARE JUSSIT
ANNO DOMINI MDCCXXVI.

Corpore fuit paullo graciliori, ac breviori, & in senectute etiam agili, oculis vegetis, & acuta ac celeri acie, naso paullo eminentiore, totaque facie miram alacritatem hilaritatemque præ se ferente. In victu post quadragesimum præsertim annum magnam temperantiam adhibuit, vinoque abstinuit, parceque somno indulsit. Sic valetudini suæ consulere existimabat, quam solitus erat dicere sustentari notitia sui corporis, & observatione earum rerum, quæ prodesse, & obesse possunt, continentia in victu, fugiendaque illa omnium ma-

 lorum

lorum matre voluptate. Interdum tamen cruditate & insomniis laboravit ob vehementissimam contentionem animi, quam in studiis litterarum adhibebat, ex qua etiam canitiem præmaturam contraxit. Senex dentes amisit. Munditiam amavit non odiosam, neque exquisitam nimis, sed quæ fugiebat agrestem illam negligentiam, quam plerunque, qui se philosophiæ dicarunt, affectant. Sed excellentiora alia in eo animi bona elucebant. Erat enim modestus, veritatis diligens, patiens, affabilis, blandusque admirandum in modum: non tamen illum caruisse desiderio honorum, & dibaphum quoque cogitasse, qui ei intimus fuit, mihi testatus est. Idem ad amicos sublevandos fide fuit singulari, & in hoc se maximum existimabat capere fructum gratiæ, qua pollebat apud optimates, & maxime apud S. Pontificem, quod pluribus, & litteratis viris præsertim prodesse posset. Erga Patrias amantissimus fuit. Tres autem Patrias se habere dicebat, primam originis, secundam naturæ, tertiam civitatis. Nam cum esset, ut initio docuimus, e Biturgia oriundus, Romæ vero natus, in populi Urbinatis civitatem an.

MDCCIII.

MDCCIII. ſuſceptus fuerat. Nullas inimicitias habuit, quod neminem lædebat; & ſi qua de re cum aliquo diſputavit, ita ſe geſſit, ut officium ſemper teneret, nunquam excederet, ac veritatis, non contentionis ſtudioſus (15) cognoſceretur. Huic rei ſunt indicio quæ ſcripſit adverſus medicos Jo. Baptiſtam Salvadorum, & Joannem Coſmum Bonomum, qui ſcabiei originem non ab ulla ſanguinis contagione, ſed a vermiculis unice repetendam eſſe toto pectore contendebant. Collegit Lanciſius omnia, quæ ad hanc controverſiam pertinent, in unum libellum; huncque Hieronymo Braſavolo inſcripſit. Animo maximo nullis unquam laboribus difficultatibuſque ab arduis quibuſque aggrediendis ſe deterreri eſt paſſus. Prudentia vero tanta in iis præſertim, quæ ad facultatem, quam profitebatur, pertinebant, ut *& de inſtantibus*, ut ait Thucydides, *veriſſime judicaret*, *& de futuris callidiſſime conjiceret*. Quod quidem cujus virtutis ſit, facile exiſtimabit is qui judicare poterit, quam ille in loco lubrico, periculoſoque verſetur, qui in tanta naturæ obſcuritate, tantiſque tenebris, quibus plerunque diverſa mor-

borum ratio continetur, hujufmodi fluctibus fe fe committere audeat. Sed tamen dici fatis non poteft, quam hoc effet illi facile factu, ita ut cum rem ipfam inveftigaffet attentius, quod certe quotiefcunque res poftularet, ufuveniebat, eum raro admodum fententiæ fuæ pœniteret. In quo fi quam ipfe rationem fecutus eft cognofcendorum morborum, perfequi velim, videar magis quam debeam, mihi tribuere. Non enim folum fcrutabatur, quod vitæ genus, qui mores, quæ etiam ciborum, quæ vigiliarum, fomnique effet confuetudo, fed oculos ad ea quoque intendebat, ad quæ non licet harum artium mediocriter peritis facile adjicere, ut cum ad pronuntiandum defcenderet, detectis, ut ita dicam, latebris morbi, videret, quantum quidem patiebatur artis natura, quid fpei fibi propofitum effet, quid etiam remedii. Fuit & difertus; nec minus concinnus in brevitate refpondendi, quam in perpetua oratione ornatus. In fermone quotidiano mirum in modum delectabatur jocis & facetiis, quæ rerum graviorum feveritatem & triftitiam mitigarent. Intelligens erat exiftimator fignorum, &

pi-

picturarum , credo , quod pleniorem quandam pulchritudinis ſpeciem animo comprehenſam habebat ; cumque eſſet diligentiſſimus antiquitatis inveſtigator , de veterum ædificiorum ſplendore , ac magnitudine ex iis, quæ ſupereſſent , ruderibus, ſagaciſſime judicabat . Habuit ſingularem memoriam , quod ex eo facillime poteſt judicari , quod cum anno MDCXCI. tota quadrageſima P. Caſalinio concionanti adfuiſſet , potuerit ejus orationum aliquas domum reverſus iiſdem pene verbis exſcribere , omnium vero accuratum compendium facere . Tanta autem induſtria fuit , tantumque vigilavit in ſtudio , ut non maxima ſummo ejus ingenio gratia habenda videatur . Nullum enim tempus illi vacuum a labore erat , quippe qui ne reprehenſionem quidem vulgi inanem reformidans, in ipſo curru , dum per Urbem veheretur , ſoleret legere , & interdum etiam ſtylum prehendere . Quapropter minime eſt mirandum , ſi tot , ac tam præclara potuerit poſteris relinquere ingenii ſui monumenta eo tempore , quo occupabatur in conſervanda tenui Pontificis valetudine , & in docendi munere , quod nunquam dimiſit ; quo ſæpe diſtrictus erat

a nobilium præſertim curationibus, ſcribendiſque conſiliis, quæ undique ab eo requirebantur, quorumque tredecim volumina reliquit; & quo demum nullum litterarum prætermittebat officium erga abſentes amicos, quos plurimos, eoſque doctrinæ laude præſtantes habuit. Inter hos fuerunt Laurentius Bellinius, Dominicus Guglielminius, Euſtachius Manfredius, Joannes Baptiſta Morgagnius, Bernardinus Ramazzinius, Antonius Valiſnerius, Guido Grandius, Franciſcus Tortus, Joannes Jacobus Mangetus, Nicolaus Cyrillus, Joannes Fantonius, Carolus Rica, Jo. Baptiſta Gaſtaldus, Pius Nicolaus Garellius, Michael Fridericus Lochnerus, Hermannus Boerhavius, Gulielmus Kokburnius, Guido Creſcentius Fagonius, Joannes Bernardus de Mornes, Joannes Daniel Geizerus, Roſinus Lentilius, quorum pervulgata ſunt nomina. Romæ vero præſertim coluit Marcellum Malpighium, Gulielmum Rivam, Vitalem Jordanium, Lucam Tozzium, Abbates de Miro & Galianium, Proſperum Lambertinium, Carolum Majellam, & Petrum Aſſaltum, qui duo poſtremi ei morienti adfuerunt. Horum plerique præclara in ſcri-

ſcriptis ſuis reliquerunt teſtimonia de doctrina Lanciſii; & dederunt quoque Academiæ Cæſarea Naturæ Curioſorum, Regia Londinenſis, Phyſiocriticorum Senenſis, Inſtituti Scientiarum Bononienſis, Incurioſorum Roſſanenſis, quæ ſibi gloriæ duxerunt inter ſuos Lanciſium cenſuiſſe. Et ſi Principibus placuiſſe viris non ultima laus eſt, non eſt tacendum factum Ludovici XIV, qui cum intellexiſſet, ab eodem libros quoſdam rariſſimos deſiderari, diligenter conquiſitos ad illum mitti juſſit una cum litteris perhonorificis (16).

(1) Notatu dignum eſt, quod in hanc rem ſcripſit Lanciſius in epiſtola quadam ad Herculem Corazzium. *Me quidem*, inquit, *ſi hæc ignoraſſem* (loquitur de Mathematicis facultatibus) *nihil profecto in re medica ſapere arbitrarer, quanquam me non lateat, ſi quid ſapio, quam ſit exiguum; atque idcirco apud diſcipulos, & amicos meos aſſeverare ſoleo, illuſtrem animam, ut ajebat Hippocrates, & quaſi per omnia naturæ opera ductilem promptamque parare non poſſe, niſi qui magiſtram ab ineunte ætate habuerit Matheſim*.

(2) Hoc periculum ingenii præſertim fecit incredibili cum auditorum admiratione in ea quam dixit, oratione de laudibus Anatomiæ an. MDCLXXXIV. VIII. Id. Novembris, cum primum ad docendum venit. *Multa ſunt*, inquit ipſe Lanciſius in epiſtola ad Joannem Paſtoritium, qui ab illo hanc orationem requiſierat, *quæ a te veniam merentur; primum enim*

 ſpe-

specimen illud fuit, quo mihi per hanc juventutis immaturitatem in almo Romanæ Sapientiæ Lyceo, hoc est celeberrimo summorum virorum theatro superioribus mensibus prodire contigit. Neque certe inficias ivero, inusitatum fuisse & animi & memoriæ & ingenii experimentum, quod non modo iterum & tertio, sed etiam quarto illius Orationis cursum, aliis atque aliis subinde Præsulibus in conventum supervenientibus, interrumpere coactus fuerim, & partes jam recitatas in anacephalæosin contrahere, novis semper & verbis & formis efferre; nec infeliciter ad locum, unde recesseram, redire. Quæ sane res adeo, te præsente, commovit Auditores, ut clarissimus Collega meus D. Paullus Manfredus vocem tenere non potuerit, quin me publice admoneret, ne post tertiam periculi vicem, quartæ fortunam tentarem. Sed tunc adfuit proculdubio infirmitati meæ divinum præsidium. Enim vero formidulosam illius diei aleam mecum ipse reputans, non sine confidentiæ nota id fieri potuisse confiteor, nisi improvisa officii necessitas ad audendum me compulisset: inurbanum siquidem videbatur, si in adventu posteriorum Præsulum eas observantiæ significationes prætermisissem, quas in priorum ingressu non gravate præstiteram. In margine vero epistolæ, qua Pastoritius Lancisio respondet, hæc idem Lancisius notavit: *Hæc oratio (utor Plinii verbis ad Svetonium) Auctori, quemadmodum a plerisque accepi, aures hominum, januamque famæ patefecit.*

(3) Magnam quoque absentium his temporibus fuisse opinionem de Lancisii doctrina indicant doctorum virorum epistolæ ad eum scriptæ. Habes hic immortalis viri Laurentii Bellinii epistolam, qua ad ipsum misit sua *de Motu Cordis* opuscula. Hanc ex multis selegimus & quia brevis, & quia honorificentissima est. *Joanni Mariæ Lancisio Laurentius Bellinus bene agere. In opusculis meis de Motu cordis, quæ ab Eminentissimo Cardinali Spada tibi reddenda curavi, perspicies, VIR CELEBERRIME, unde animalium Motio-*

num

num principia deducam. An vero id affecutus sim, quod consequi erat in animo, tu videris, qui probe nosti, animalium operationes a sola instrumentorum structura motuque pendere. Ut autem hæc pro tua humanitate diligenter expendas, simul etiam æqui bonique consulas, non mea solum, sed tua quoque interesse arbitror. Vale Florentiæ Kal. Sept. MDCXCV.

(4) Juvat hoc loco referre verba Valisnerii, ubi loquitur de Inventoribus vermium spermaticorum tom. 2. p. 104. *Nè perchè cito letterati al di là de' monti, e al di là de' mari celebratissimi, credesse già V. S. Ill.ma che nella nostra Italia niuno si fosse preso la pena d'assicurarsi di un tanto fatto. Il nostro Monsignore Lancisi Medico di S. S., e chiarissimo per tante sue opere degne di Cedro, mi mandò, non è guari, alcune sue Dissertazioni Epistolari di scelta erudizione piene, in due delle quali parla anch'esso di questi vermi del seme umano.*

(5) Hæc Guglielminius in epistola ad Lancisium data Bononiæ prid. non. Aug. MDCCVII. *Bononiæ mihi redditus est liber, quem nuper evulgasti de subitaneis mortibus, cujus lectionem, pluribus licet distractus negotiis, avidissime aggressus, in eo optima inveni cuncta, cuncta suspicienda. Præterea styli gravitatem, orationis perspicuitatem, & elegantiam, ordinisque nitorem quibus undequaque lectoribus te commendas; doctrinam ipsam potius suspicio, in qua tuum elucet judicium e melioribus optima seligens, & omnia suo quæque loco disponens & sistens. Nihil intrusum, nihil putidum (vitia ætatis nostræ) sed cuncta naturali pulchritudine assurgentia ingenii tui masculam virtutem, & gratam amœnitatem redolent. Placuisti in omnibus, sed maxime in sectionibus cadaverum, quas ita examinasti, ut neque in historiis prægressi status, neque in observationibus dissectionum, neque in eorundem scholiis quidquam desideretur.* In hanc fere sententiam scripsit ad eundem Lancisium Lucas Tozzius X. Kal. Aprilis MDCCVII. Neapoli. *Eum sane percurri* (inquit) *nescio majori ne voluptate,*

an admiratione. Incredibiliter me quidem delectarunt styli elegantia, Romanique sermonis nitor, concinna methodus, solidaque doctrina, non quidem ex fictis hypothesibus, sed ex ipsius naturæ observatione, anatomicisque præsertim experimentis deprompta. Accedit argumenti utilitas potissimum hac nostra ætate, qua solito frequentius homines hoc lethali genere e medio tolluntur. Ramazzinius *Cedro dignum* appellavit hunc librum. Carolus vero Rica Junior significavit Lancisio summo in pretio esse apud Anglos istud opus *De subitaneis mortibus; illudque, tanquam thesaurum, in acta Regiæ Societatis contulisse Henricum Sloone.*

(6) Extant epistolæ Lucæ Schroekii Acad. Nat. Curios. Præsidis, in quibus mirabiliter laudantur singula fere Lancisii opera, & istud præsertim *de Noxiis paludum effluviis*. Israel quoque Coniglianus Hæbreus, Medicus sane doctissimus, qui diu medicinam fecerat Byzantii, in epistola ad Lancisium ait, non satis digne hoc opus laudari posse, illudque sibi aperuisse diu frustra quæsitam caussam morborum contagiosorum, quibus singulis quibusque annis cives illius urbis affliguntur. Ad quæ rescripsit Lancisius: *Quæ enim de Byzantinis epidemiis potius, quam pestibus identidem recurrentibus olim subobscure conjeceram, nunc oculatissimo testimonio tuo affirmate statuere minime vereor: Scilicet non aliunde quam ex corruptis ob* Turcarum *negligentiam, contemeratisque aquis ac linis frequentes illas pestilentias suboriri*. Mirum, Byzantium usque penetrasse Lancisii famam, & hunc Hæbreum Romam venisse, motum præsertim, ut ipse narrat, desiderio illius noscendi.

(7) Antonius Jessieus Parisiensis horti Præses scripsit Lancisio, *nihil accuratius, nihil sagacius, nihil elegantius legisse Opere de Bovilla Peste*; hocque judicium comprobasse judicio suo Guidonem Crescentium Fagonium. Immortalis hic vir quoniam ipse per se legere non poterat senio, & oculorum morbo impeditus, auribus accipiebat quidquid edebat Lancisius. Nihil enim

ab

ab eo proferri posse existimabat, quod optime ejus famam non sustineret. Sed redeo ad opus *de Bovilla Peste*, de quo sic quoque judicavit Morgagnius in epistola quadam ad Lancisium: *Historia diligenter scripta, edicta utiliter collecta, morbi natura, caussa, curatio erudite, subtiliterque tractata, omnia luculenter, copiose, diserte absoluta. Quid multis? Magna cum voluptate legi, eoque majore, quod summam ejus Dissertationis utilitatem inter legendum animadverti. Nam, ut cetera praetermittam, quae nec pauca, nec levis momenti sunt, quid excogitari, quid fieri utilius poterat, quam Pont. O. M. sapientissima ista decreta, ac singularia ac prope divina beneficia litteris mandare, ut cujus regimen optare mortales aeternum debent, sperare autem non possunt, ejus saltem prudentiae, & beneficentiae immortale habeant monumentum, unde Principes in omne tempus sibi ad imitandum exempla capiant.* De hoc opere sic etiam loquitur, (ceteros omitto) Lucas Schroekius: *Communem omnium adplausum illud mereri, atque obtenturum certus sum; adeo provide & docte circa illam* (pestem) *cuncta fuere peracta & scripta, ut quam tot meritis jam antea nomen Lancisianum possidet famae celebritatem, immensum jam adauctam esse sine assentatione dici queat, debeatque.* Scripta haec est epistola anno MDCCXVI.

(8) Brevis est epistola Antonii Valisnerii, qua commendat hunc Lancisii librum; quare juvat integram exscribere. *Illustrissimo & sapientissimo viro Joanni M. Lancisio Italiae decori & ornamento, deque Republica medica optime merito Antonius Valisnerius S. PP. Haesi, vir praestantissime, inter admirationem & gaudium, dum tua legerem. Quam alte naturam intras, quam subtiliter indagas, quid venti cogitent, quid agant effluvia per aerem surgentia. Nec minus praeclara scribendi utilitas. Consulis vitae civium, & exemplo Romani caeli totius humani generis caussam benigne agitas. Haec me res magnopere recreat; nec enim ambitiosa contemplatione fatigas ingenium; sed juvat laborare in publica commoda,*

juvat.

juvat a spiritu quem ducimus, & quo nihil carius, occursantes noxas repellere. Jam intelligis, vir sapientissime, quanti æstimem librum tuum, quam magnas tibi gratias debeam pro tali munere. Discant demum recentes medici, quorum omnis in theorias nisus est, non philosophari tantum, sed etiam prodesse. Vale Patavii X. Decembris 1711. Longiores sunt epistolæ Danielis Geizeri Archiatri Regis Poloniæ, Rosini Lentilii, Joannis Fantonii, aliorumque, quibus ad cælum effertur hoc idem opus; satisque erit eas nominasse. Narrat quoque Fantonius judicium honorificentissimum quod de eo fecit Jacobus Mangetus, plurimaque ipse affert, quæ mire confirmant notata in hoc libro a Lancisio. Ceteras res inter ait, magni momenti esse quod ille de combustione herbæ Kali prohibenda admonet. Sibi enim compertum esse affirmat, quod *ex hac herba elevantur halitus acerrimi, qui diathesim sanguini ferinam conciliant, & sulphuri pugnam inferunt*. Lentilio vero istud opus occasio fuit agendi cum Lancisio per litteras de aquarum natura; & multa quidem sunt in his litteris, quæ hominum doctrinam, ac diligentiam in observationibus habendis declarant. Minime illud silentio prætereundum est, quod eidem Lentilio narrat Lancisius, quædam a se inchoata fuisse *de Spargyrica analysi, deque acidulis Romanis*, omniaque a se notata ad geometricam methodum redigere cogitasse, non tamen præstitisse occupationibus distentum. Epist. dat. est Kal. Octob. MDCCXII.

(9) Accepta priori Dissertatione, hæc scripsit Fantonius Lancisio: *Dissertationem tuam Physiognomicam summa cum voluptate perlegi. Tu mirabili ingenii acumine rei caussam ab antiquis ignoratam, despectamque a Neotericis ita in lucem protulisti, ut, quasi dixerim, veritatem in fabula detexeris. Illud præsertim videtur subtilissime excogitatum, quod de intima cognatione frontalis musculi cum cerebro, & meningibus demonstras. Quæ enim, re in adulto solum considerata, nihil ponderis sententia haberet, eadem plane verisimilis est facta indagi-*

ae rei in embryone, quemadmodum pulcherrime ostendis. Adeo nihil est in animalium & hominis fabrica tam incultum tamque obscurum, quod anatomico ac philosophico lumine non splendescat. Sed tua hac disquisitio non parum etiam universam animalis œconomiam illustrat, et ratiocinandi normam & methodum perspicuam aperit. Denique omnia sunt acutissime, jucunde, erudite, diligenter, & eximia methodo, qua scriptores Medicos facile vincis, exposita.

(10) Antonius Jessieus in epistola quadam ad Lancisium ait, ab illo se dissentire in eo quod spectat ad Fungorum generationem & naturam. Putabat enim illos vegetare, & inter stirpes numerandos esse. Ceterum Lancisii sententiam defendit Antonius Valisnerius qui cum illo observationes suas communicaverat.

(11) Dici non potest, quanta undique Lancisio facta sit a doctis viris gratulatio, quod has Tabulas Eustachianas e tenebris eruerit, explicaveritque. Jacobus Mangetus, ut e multis pauca testimonia seligamus, sic scribit quadam in epistola ad Lancisium: *Demiror sane illa omnia, quæ summa sua sagacitate perspexit magnus Eustachius eo tempore, quo tenebris non parum crassis obvolvebatur tota anatomia. Sed tuam multo magis demiror solertiam, ac ingeniosissimam diligentiam, qua rimatus quæ obscurius illic erant delineata, librum alias mutum, ac paucis inserviturum eloquentissimum ac preciosiori quacunque anatomica supellectili quam maxime instructum fecisti. Est propterea quod memoria Eustachiana, est quod tota societas medica maxime amplitudini tuæ debeat, non tantum quod hasce tabulas per duo prope sæcula sepultas Sum. Pont. munificentia de suo, ut ita dicam, tumulo eduxerit, sed etiam quod inde tam multa, tam docta, tamque solida ad curiosioris professoriæ artis ornatum facientia promere voluerit.* Eidem Mangeto libuit has Tabulas suum in Theatrum anatomicum referre cum explicationibus Lancisianis ab auctore nonnullis in locis correctis. Ingenue enim hic fassus est *partim typographi*

phi incuria, partim nostra etiam in scribendo festinatione sphalmata quædam irrepsisse. Summus vir Hermannus Boerhavius scribens Jacobo Hay (est inter Lancisianas hæc epistola) ait, incredibili voluptate legisse quæ adnotaverat Lancisius in Tabulas Eustachii, addiditque: *bona fide ago, hactenus nihil simile in anatomicis usquam apparuit*. Memorabile est quod in hac epistola idem Boerhavius fatetur, scilicet multum profecisse ex operibus Lancisii, idque rursus affirmat ipso Lancisio scribens. Extant & epistolæ Hyacinthi Gimmæ, & Joannis Fantonii, quibus hi docti viri plena manu in astra extollunt hoc Lancisii opus.

(12) Joannes Baptista Gastaldus in quadam epistola ad Lancisium auream appellat hanc Dissertationem. Ait, hoc argumentum imperfecte admodum a Vossio, aliisque fuisse tractatum; Lancisium vero effecisse, ut nihil amplius desiderari possit: *Belle enim adeo & solide & perleganter de illis omnibus, quæ ad ipsum quovis modo pertinere possunt, more tuo disseruisti; quod opus ut præ manibus juniorum medicorum versetur, curare debent illi omnes, quibus artis gloria cordi existit*. Antonius quoque Jessieus pluribus verbis commendat hanc Dissertationem.

(13) Antonius Jessieus significavit Lancisio, magnam ei famam comparasse apud Gallos quæ ipse adnotavit in Metallothecam Mercati; quas adnotationes laudans quoque Fantonius in epistola ad Lancisium, ait: *Metallicæ scientiæ institutiones dici merentur, nihilque a curiosis non tantum doctissimisque Philosophis, sed a solertissimis etiam Criticis desiderandum relinquitur*. Neque minus easdem probavit Mangetus: nam illius est hæc epist. ad Lancisium dat. Geneva prid. Kal. Julii MDCCXV. *Habemus pro quo amplitudini tuæ nos maxime devinctos profiteamur, cujus doctis, & felicibus curis debemus, quod ea omnia nitidissima, innumerisque experimentis, ac solidiorem doctrinam quaqua versum spargentibus ratiociniis illustrata nobis tradita fuerint*: Loquens vero de

Mer-

Mercato ait, *optime se gessisse quod ad rei naturalis partem potissimum se converterit, quippe magis neglecta videbatur. Siquidem in Botanicis præter Columnam, Penam, Bauhinos &c. prostant inter novissimos clarissimi viri Morissonus, Brenius, Rivinus, Rayus, Turnefortius, aliique non pauci. In animalibus tum perfectis, tum imperfectis, ut vulgo distinguuntur, Gesnerus, Aldrovandus, Tonstonus, Rayus, VVilloughbejus, Listerus, Redi, Gvvammerdhamius, imo etiam aliqua ex parte Levvenhoekius, Charletonus, variique curiosi Peregrinatores. In gemmarum & metallorum, metallisque affinium mineralium historia, tum prædicti Peregrinatores, tum alii plures veteres & Neoterici qui de iis ex professo & vere prospero cum exitu egerunt.*

(14) His observationibus locus datus est in secundo volumine operum Lancisii. Earumque meminit Heisterus in suo nunquam satis laudato opere de rebus Chirurgicis, alibique. Ceterum quæ fuerit Lancisii sententia, facile cognosci poterit ex iis quæ scripsit ad Garellium in epist. data Kal. Martii MDCCXIX. *Non exiguæ autem*, inquit ille, *mihi voluptati fuit, quod a te quoque confirmari intellexerim, communem amicum clarissimum Heisterum de pristina sententia si minus discesserit, saltem paullulum in rectam viam flexisse, ingenue professum, suffusionem obducta in aqueo humore membrana aliquando progigni: & quidem si Romæ degeret, crebrisque interesset sectionibus cadaverum eorum qui cum certis non cujuscunque glaucomatis, sed veræ cataractæ indiciis decesserunt, non infrequentiorem ac præternaturalem, sed frequentissimam illoque in genere naturalem suffusionem appellaret. Illud etiam dolendum magnopere mihi videtur, quod maximæ non raro offensiones inter doctos viros emergant, eo quia nomina a Priscis ad peculiares morbos significandos constituta in alios sæpe detorqueant, ut in casu nostro usuvenit, in quo cum hypochymatis suffusionis & cataractæ vocabulum inditum fuerit vitio concretionis in humore aqueo, Antonius Metrajanus, Brissæus, atque Heisterus noster ad crystallini affectionem indicandam traduxerunt.*

runt. Cum igitur vel ipse Heisterus candide nunc fateatur, concretionem in aqueo & contingere, & per acum deprimi posse, sponte quoque dare videtur, ut nomen, sedes, & medela ipsius cataractæ a veteribus inventa apud recentiores quoque accipiantur. Quanquam ultro concedimus, hactenus medicos & chirurgos partim signorum ambiguitate, partim complicatione utriusque mali falsos sæpe sæpius, glaucoma pro suffusione, vel contra reputasse, quod etiam nobis accidit, quippe qui in denatis viderimus ægrotationem, quam simplicem cataractam censebamus, fuisse cum glaucomate conjunctam. Hinc præclare magnus Hippocrates, qui minus erraverit, optimus est medicus. Ceterum ego quidem arbitror, Heisterum nostrum ideo susceptas partes non deseruisse, quod minus urbane a nonnullis habitus sit.

(15) Inter epistolas Lancisii multæ quidem extant quæ ostendunt, quam a contentionibus idem esset aversus. Neque solum has ille vitabat, sed ortas inter amicos, ut componeret, omne adhibebat studium. Dicere vero solitus erat, Medicos præsertim ab omni contentione alienos esse debere, memores illius dicti Hippocratis, quo admonentur, ut nihil cum perturbatione faciant.

(16) Ceteros inter libros erant duo exemplaria operis, quod inscribitur *Margarita Antoniana*, quorum unum Lancisius dono dedit Cardinali Laurentio Corsinio. Rarissimus sane liber, cujus auctor est Gometius Pereira, & ex que Cartesius sumpsisse dicitur illud Philosophiæ suæ dogma, Bruta carere anima, & vera automata esse.

OPERA EDITA.

In contexendo Indice Operum Lancisii primum referemus ea, quæ distributa in quatuor volumina Fratres Palearinii Romæ an. MDCCXLV. eleganter sane impresserunt, ordinemque ab iis servatum haud immuta-

mutabimus; deinde recensebimus reliqua Lancisii opera, quæ in lucem quidem sunt edita, sed minime inserta sunt in ea, quæ memoravimus, volumina: ac postremo declarabimus quæ sint ejusdem Auctoris scripta inedita, quæ in Bibliotheca S. Spiritus asservantur.

Tom. I. *DE SUBITANEIS MORTIBUS libri duo. Romæ typis Jo: Francisci Buagni* 1707. in 4. *Lucæ apud Peregrinum Fredianum* 1707. in 4. *Venetiis apud Andream Poletum* 1708. in 4. *Lipsiæ apud Fridericum Gleditsch* 1709. in 8.

DISSERTATIO de nativis, deque adventitiis Romani Cæli qualitatibus; cui accedit Historia epidemiæ rheumaticæ, quæ per hiemem an. 1709. *vagata est. Romæ apud Franciscum Gonzagam* 1711. in 4.

Tom. II. *DISSERTATIO de recta medicorum studiorum ratione instituenda, habita ad novæ Academiæ Alumnos, & Medicinæ Tyrones in Archinosocomio S. Spiritus in Saxia. Romæ ex Typographia Jo. Mariæ Salvioni* 1715. in 4. & apud eundem eodem anno in 8: & *Avenione apud Joannem Delorme* 1716. in 8.

ANATOMICA HUMANI CORPORIS SYNOPSIS. Pro. Jussu habita in Almo Rom. Sapientiæ Lycæo cum primum demandatam ab INNOCENT. XI. P. M. Anatomiæ Cathedram susciperet VIII. Id. Novemb. MDCLXXXIV. Primum edita hæc Synopsis fuit Genevæ an. 1718. cum reliquis Lancisii operibus, quæ etiam tum prodierant. Conficiunt hæc opera duo volumina in 4., eaque in ordinem digessit Petrus Assaltus.

EPISTOLA de humorum secretionibus in genere, ac præcipue de bilis in hepate separatione ad eruditissimum virum D. Joannem Baptistam Blancum Medicinæ et Anatomiæ Professorem. Hæc primum impressa fuit in libro ejusdem Blanci, qui inscribitur = *De hepatis structura, usibus, et morbis ec. Augustæ Taurinorum* 1711. ac deinde Mangetus inseruit in primum volumen sui *Theatri Anatomici* editi Genevæ 1717.

—— *ad doctissimum et eruditissimum virum D. Ray-*

 mun-

mundum Veiusenium Medicinæ Doctorem, et in Monspeliensi Academia Profess. longe clarissimum, scripta nomine Archiatrorum Collegii Urbis, ut responderet quæstionibus = *An acidum ex Sanguine extrahi queat?* & *an inter ejusdem Sanguinis principia ulla statui possit universalis proportio?* = Primum edita fuit in memorata Genevensi editione; & suus Auctor retulit quoque in Metallothecam Mercati editam Romæ typis Salvioni.

EPISTOLÆ DUÆ ad Antonium Pacchionium una, ad Joannem Biancardium altera *de triplici Intestinorum Polypo, quorum longiorem nonnulli hactenus unicum vermem esse crediderunt*. Inseruit Antonius Valisnerius suum in librum, cui titulus = *Considerazioni ed esperienze intorno alla generazione de'vermi ordinarj del corpo umano. in Padova* 1710.

DISSERTATIONES DUÆ de Physiognomia, et de Sede cogitantis animæ. Joannes Fantonius, ad quem instituuntur, locum iis dedit in opere quod inscribitur = *Joannis Baptistæ Fantoni ec. Observationes Anatomico-medicæ = Venetiis apud Andream Poletum* 1713. Mangetus quoque retulit suum in Theatrum Anatomicum.

DISSERTATIONES DUÆ ad Ludovicum Ferdinandum Marsilium. Altera est *de Ortu, vegetatione, ac textura fungorum*, altera *de Pliniana villæ ruderibus, atque Ostiensis Litoris incremento*. Editæ primum fuerunt ad calcem operis ejusdem Marsilii, cui titulus = *Dissertatio de Generatione Fungorum ec. ec. Romæ ex officina Typographica Francisci Gonzagæ in via lata* 1714. *in fol.* =

FORMA AC METHODUS describendæ morborum historiæ in gratiam Medicinæ Tyronum. Per occasionem Epistolæ ab Auctore ad Philippum a Turre Adriensem Episcopum de Excell. viri D. Horatii Albani CLEMENTIS XI. P. M. germani fratris morbo, interitu, et funere. Hæc Epistola primum lucem aspexit Norimbergæ an. 1715. in *Appendice Centur. III. et IV. Ephemerid. Academ. Curios. Germ.*

EPI-

EPISTOLA APOLOGETICA de generatione metallorum Patri D. Herculi Corazzio in Bononien. Lycæo Analyseos Professori Pub. Pertinet ad Prolegomena Metallothecæ, ad quæ pertinent quoque

EPISTOLÆ DUÆ de morte Cleopatræ ad Jo. Baptist. Morgagnium, &

EPISTOLA Ernesto Salamoni Cypriano.

DE NATURA ET PRÆSAGIO Dioscurorum nautis in tempestate apparentium. Romæ typis Georgii Placho 1720. in 8.

LUCUBRATIO de Virgine quadam Calliensi mirabili vexata symptomate, habita in Congressu Medico Romano, in ædibus Hieronymi Brasavoli. Romæ apud Cristophorum Pragondellum 1682. *in* 4.

CONSILIUM CLEMENTI XI. de ratione instituendæ rusticationis cum optimo regimine sex rerum nonnaturalium, a cujus negligentia ipsemet seccessus omnino noxius evaderet.

CATARACTÆ OBSERVATIONES.

DISSERTATIO HISTORICA de bovilla peste ex Campaniæ finibus Latio importata, cui accedit Consilium de equorum epidemia. Romæ typis Salvioni 1716. *in* 4.

Tom. III. *DE NOXIIS PALUDUM EFFLUVIIS eorumque remediis libri duo. Romæ typis Salvioni* 1717. *in fol.* Opportune huc Lancisius intulit plures doctorum Medicorum epistolas, quibus ipse consultus est de contagionibus, quæ aut Pisaurum, aut Ferentinum, aut alias regiones afflixerunt. Intulit quoque

CONSILIA a se exhibita in cœtu aliquot Cardinalium de Sylva Cisternæ et Sermineta non nisi per partes excidenda.

Tom. IV. *DE MOTU CORDIS ET ANEURYSMATIBUS opus posthumum in duos libros divisum.* Primum impressum fuit Romæ apud Salvionum 1724. in fol., mox Neapoli, Venetiis, & Lugduni Batavorum in 4.

DISSERTATIONES de Vena sine pari, et Gangliis Nervorum ad Joannem Baptistam Morgagnium, quæ qui-

dem anteà editæ fuerânt inter Adverſaria ejuſdem Morgagnii.

Hæc ſunt Lanciſii opera quæ habet Paleariniana editio, quæ & copia rerum, & elegantia longe ſuperat Geneventem.

DISSERTATIO, qua probatur vermes in pueris facile ſuſcitari ab inſolito aliquo metu, habetur in *Congreſſu Medico Romano habito in ædibus Hieronymi Braſavoli prid. non. Aug.* 1687. In his *Congreſſibus* (ſic enim inſcribebantur, quæ ab illo doctorum hominum cætu in lucem exibant) ſæpe apparet nomen Lanciſii.

EPISTOLÆ DUÆ ad Felicem Adamum Mulebancher de moſis & de ſeminis vermiculis: Leguntur in ſecundo volumine operum Antonii Valiſnerii.

ANATOMIA per uſo e intelligenza del diſegno, ricercata non ſolo ſu gli oſſi, e muſcoli del corpo umano, ma dimoſtrata ancora ſulle ſtatue antiche più inſigni di Roma. Delineata in più tavole, con tutte le figure in varie faccie, con le ſpiegazioni & indice del Sig. Canonico Gio: Maria Lanciſi già Medico Segreto della S. M. d'INNOCENZO XI. in Roma per Domenico de' Roſſi 1691. *in fol.*

DISSERTATIO de ratione philoſophandi in arte Medica ad Senenſem Phyſiocriticorum Academiam. Legitur in quarto volumine part. III. *della Galleria di Minerva. Venezia per Girol. Albrizzi* 1700. *in fol.*

EPISTOLA ad Joannem Fantonum. Quoniam hæc epiſtola præclarum dat teſtimonium judicii, quod fecit Lanciſius de opere Fantonii, quod inſcribitur = *Anatomia corporis humani ad uſum theatri accomodata: pars I. in qua infimi et medii ventris hiſtoria exponitur: Auguſtæ Taurinorum* 1711. in 4. = idem Fantonius operi huic ſuo præpoſuit.

DISSERTAZIONE Epiſtolare al P. D. Antonio Borromeo intorno all'epidemia de' buoi accaduta l'anno 1711. Edita fuit cum opuſculo ejuſdem Borromæi, in quo hiſtoriam narrat hujus bovillæ peſtis. *Venetiis apud Petrum Orlandum, et Neapoli apud Felicem Moſcam* 1712. *in* 8.

Li-

Liber titulum præfefert . = *Istoria dell' epidemia de' buoi accaduta l'anno 1711. con l'esame delle cagioni, uso de' remedj, e modo di preservare i buoi sani* = Lancisius in latinum eam convertit, adjunxitque Dissertationi *De bovilla peste*. Idem fecit de opusculo cui titulus

RAGIONAMENTO intorno all'epidemia de' cavalli succeduta in Roma nella primavera del 1712. disteso per ordine della Sacra Consulta. Primum impressum fuit in memorata Neapolitana editione *dell' Istoria dell' Epidemia de' buoi*.

LETTERA al Sig. Antonio Valisnieri sopra il ritrovamento delle Tavole Anatomiche dell' Eustachii. Legitur in XI. volumine Ephemeridum Litteratorum Italorum.

TABULÆ ANATOMICÆ cl. v. Bartholomæi Eustachii, quas e tenebris tandem vindicatas, et SS. D. CLEMENTIS XI. P. M. munificentia dono acceptas, præfatione, notisque illustravit, ac ipso suæ Bibliothecæ dedicationis die publici juris fecit Jo. Maria Lancisius ec. Romæ ex officina Typogr. Francisci Gonzagæ 1714. in fol. Opus recusum fuit *Coloniæ Allobrogum, sumptibus Cramer & Perachon* 1717., & in fine *Theatri Anatomici*. Extat quoque in hoc Theatro

EPISTOLA Lancisii ad Jacobum Mangetum de Eustachii Tabulis iterum recudendis in ejus Theatro Anatomico, cui subnectuntur testimonia quædam Auctorum, qui laudant Eustachium, quæque omissa fuerant in editione Romana.

EPISTOLÆ DUÆ ad Philippum de Turre: Extant in volum. 33. p. 2. Ephemeridum Litteratorum Italorum.

LETTERA RESPONSIVA al medesimo sopra il difetto d' occhi d'un Fanciullo. Tra gli Opuscoli Scientifici. Venezia 1745. tom. 33.

LETTERA al Sig. Antonio Valisnieri, qua homines admonuit esse quædam in libro *De noxiis paludum effluviis*, in quibus lapsus fuerat. Legitur in XXIX. volumine Ephemerd, Lit, Ital.

MICHAELIS Mercati Samminiatensis Metallotheca, opus posthumum auctoritate et munificentia CLEMENTIS XI. P. M. e tenebris in lucem eductum: opera autem et studio Joannis Mariæ Lancisii Archiatri Pontificii illustratum. Romæ ex officina Jo. Mariæ Salvioni 1717. *in fol.* Biennio post Lancisius Appendicem quandam operis publicavit iisdem typis Salvioni, qua occasione frontem libri renovandam putavit. Hinc factum est, ut quamvis unica sit Metallothecæ editio, duplex tamen videri possit. Nam una frons habet annum 1717. altera annum 1719.

ADNOTATIONES ad Historiam morbi Cardinalis Columnæ descriptam a Januario Janellio. Romæ apud Franciscum Gonzagam 1719. In his adnotationibus plura explicat Lancisius scitu dignissima, quæ ad pleuritidem pertinent. Hoc enim morbi genere laboraverat Cardinalis ille.

DISCORSO recitato nell'Academia degli Afforditi solita a radunarsi in casa Veterani alla presenza dell'Eminentissimo Cardinale Tanara Legato d'Urbino. Ostenditur in eo = *Essere molto più glorioso, e più profittevole alla Patria il vivere che il morire per la medesima* = In Urbino 1703.

VOTI DIVERSI per la Canonizzazione de' Santi. Accedebat ad cetera Lancisii munera illud quoque, ut medica trutina perpendere deberet eorum malorum sanationes, quæ præter naturam factæ esse dicebantur ad probandam alicujus viri Sanctitatem.

TRE VOTI CONSULTIVI per la Ragunanza d'Arcadia intorno al merito di tre gran Letterati Arcadi Lorenzo Bellini, Pirro Maria Gabrielli, e Vitale Giordani.

DE' CONSULTI ITALIANI di Monsignore Gio. Lancisi &c. pubblicati da Filippo de Carolis di Ravenna. Tom. I. in Roma 1761, *per Generoso Salamoni*.

OPE-

Opera inedita.

STUDIA JUVENILIA inchoata ab anno 1672., *seu Repertorium Medicum. Volum. XXII.*

DIARIUM Observationum Medicarum, Chirurgicarum, et Anatomicarum ab anno 1681. *usque ad annum* 1693.

HISTORIÆ MEDICÆ variæ.

REPERTORIUM MEDICUM in quo sunt notata multa morborum genera, iis adhibita remedia, eorumque exitus, aliaque plura ad rem medicam spectantia.

MISCELLANEA ANATOMICA.

PRÆFATIONES ad singulas Ostensiones Anatomicas habitas in Theatro Anatomico Romanæ Sapientiæ. In hoc volumine extat quoque

PRÆLECTIO habita in maxima Aula Romanæ Sapientiæ cum caperet possessionem loci Collegialis, non exhibito supplici libello, sed sponte a Collegio electus die 10. *Jan.* 1682.

LETTERE APOLOGETICHE tra Gio. Battista Salvadori, e Gio: Cosimo Bonomo, e Giovanni Lancisi intorno all'origine della rogna.

RACCOLTA di 46. *Conclusioni Mediche pubblicate in Messina nel* 1665, *di una Critica contro le medesime, e della famosissima Apologia di Marcello Malpighi allora Lettor primario in Messina, e al presente Medico Segreto della S. di N. S. INNOCENZO XII. fatta in ossequio dell' Autore dal D. Gio: Maria Lancisi Medico Collegiale, e Lettor pubblico in Roma nel* 1693. Memoratu digna sunt quæ Lancisius præfatus est de Malpighii *Apologia. Uscì ella dalla penna* (inquit ille) *di questo grand'uomo nello spazio di soli* 15. *giorni, come egli più volte m'ha confermato, e .. contiene i semi di quasi tutte le invenzioni Anatomiche pubblicate dopo da lui, e da altri Professori.* Collegit quoque Lancisius magnam copiam Consiliorum ejusdem Malpighii, atque ad ea notas quasdam apposuit.

GIORNALE dell' ultima infermità d' INNOCENZO XI. distesò da Gio: Maria Lancisi, e dedicato al S P. CLEMENTE XI. In hac ephemeride multa sunt quæ pertinent ad declarandos mores consuetudinemque vitæ illius Sanctissimi Pontificis.

PRÆFATIONES atque Orationes habitæ in Archigymnasio Sapientiæ. Hæ quidem sunt

PROLUSIO de Laudibus Anatomiæ habita cum primum anno 1684. ad hanc facultatem docendam venit.

PRÆFATIO in Chirurgicas de vulneribus Capitis Prælectiones habita an. 1685.

—— *ad Prælectiones de externis tumoribus habita an.* 1686.

—— *ad Prælectiones Anatomicas an.* 1687.

—— *ad Prælectiones de capitis vulneribus.* In hac præfatione dicta an. 1688. ostendit Lancisius auctoritatem sine ratione plerumqne obesse.

—— *ad Prælectiones de tumoribus an.* 1689.

—— *ad Prælectiones Anatomicas an.* 1690. In his Præfationibus *ad Prælectiones Anatomicas* sæpe totus in eo erat Lancisius, ut ostenderet Anatomen esse vel maxime necessariam ad Medicinam faciendam.

—— *ad Prælectiones de capitis vulneribus. an.* 1691. Rediit hoc anno ad capitis vulnera, propterea quod anno 1688., quo tempore instituerat commentariis illustrare practicum Hippocratis librum *de capitis vulneribus*, jussu Summi Pontificis ad majus opus vocatus non potuerat in incæpto permanere.

—— *ad Prælectiones de Tumoribus an.* 1692.

—— *ad Anatomicas Prælectiones an.* 1693.

—— *ad Prælectiones de Vulneribus capitis an.*1694.

—— *ad Prælectiones de Tumoribus. an.* 1695.

PROLUSIO ad Hippocratis Prognostica, habita VI. Id. Novemb. MDCXCVI. cum evectus fuisset ad Cathedram Theoriæ Extraordinariæ. Ait hoc sibi propositum esse, ut ostenderet, *Præsagiorum aphorismos accurata, multiplici ac repetita observatione a Divino Sene compilatos ac-*

ces-

ceſſione novarum doctrinarum, Chimiæ ſcilicet, Anatomes, & Mechanicæ tantum luminis accepiſſe, ut qui olim a posteriore, ut ajunt, dumtaxat, vel plerumque minus probabili ratiocinio reſolvebantur, modo veram & a priori cauſſam in propatulo nanciſcantur.

—— *ad Prælectiones de urinis, habita in inſtauratione ſtudiorum an 1697. prid. id. Novembris.*

ad Prælectiones de pulſibus, habita poſt longam Auctoris ægritudinem VIII. Kal. Decembris 1698.

ORATIO INAUGURALIS ad Commentarios in libros Hippocratis, habita V. Idus Novembris 1699. In hac explicat dictum illud Hippocratis, quod multorum interpretum torſit ingenia. *Si quid divini in morbis ineſt, illius quoque ediſcere providentiam.*

PROLUSIO INAUGURALIS, habita nonis Novembris 1701. cum ad ordinariam Practicæ Cathedram evectus fuiſſet. Egit eo anno de morbis capitis.

PROLUSIO ad Tractatum de Aneuryſmatibus, habita VI. Id. Novembris 1702.

ORATIO DE LAUDIBUS LEONIS X. habita in Æde Sacra Romani Archigymnaſii 1685. Laudat in ea temperantiam, fortitudinem, prudentiam, ac juſtitiam illius Pontificis.

—— *de laudibus litterarum; habita in eodem Templo die 18. Octobris 1688.* Oſtendit in ea, litteras vivo homini brevem ſuavemque mortem, mortuo vero perennem ac glorioſam vitam largiri.

ORATIO in funere LEONIS X. habita in eodem Templo an. 1696. Probat non ſolum utile, ſed etiam neceſſarium eſſe Principibus viris litterarum ſtudium.

ORATIUNCULÆ variæ habitæ in tradendis laureis.

PRÆLECTIONES de Tumoribus.

—— *De Miſologia.*

—— *de Univerſalibus Tegumentis*, aliiſque rebus anatomicis, reperiuntur in memorata *Miſcellanea Anatomica.*

TRACTATUS de urinis, & commentaria in Hippocratis libros de Prognoſticis ſub annis 1696. & ſequenti

ador-

adornata. Materiam Urinarum in quinque libros dividit nimirum in Physiologicum, in Pathologicum, in Semioticum, in Hygienum, & in Therapeuticum.

—— *de Formatione fœtus in utero*.

COMMENTARII in Hippocratis Librum de Capitis vulneribus. Sic interpretatur hunc librum Lancisius, ut non tantum interpretis, quam veritatis indagatoris officium præstet; utiturque opportune dicto illo Galleni. *In Hippocrate & aliorum dictis id observo, ut non temere approbem quæ scripserint, sed experientia, ratione verum ne an falsum sit examinem* Sane in his commentariis multa, eaque recondita doctrina comparet.

TRACTATUS DE FEBRIBUS in Romano Lyceo Auditoribus suis exhibitus an. 1703. *cum extemporanea ad hunc Tractatum prælectione*.

CONSILII E RISPOSTE intorno a diverse indisposizioni. Italice scripta Volum. X., Latine Volum. III. Distribuuntur hæc Consilia in genera morborum Sæpissime vero adjungitur iis, qui fuerit exitus morbi, de quo consultum est. Significavit aliquando Lancisius per litteras Morgagnio, velle se annotare non modo exitum morbi, sed etiam signa, quæ animadversa sunt in cadaveribus eorum, quos medicina curare non valuit: cui respondit Morgagnius, suscipere eum curam & cogitationem dignissimam virtutis suæ; utque stimulos eidem admoveret, posuit ante oculos exemplum doctissimi viri Lælii a Fonte. Ego tamen raro hæc signa notata vidi in iisdem Lancisianis Consiliis, sæpissime num ii qui convaluerint, in veterem morbum delapsi fuerint, aut a novo tentati.

LETTERE SCRITTE ne' tre viaggi fatti a Urbino. Volum. III.

I. Volumen continet decem Epistolas scriptas ad Christophorum Batellium mensibus Octobris, & Novembris anni 1703, in iisque describuntur quæ observatione digna putavit Lancisius. Risi eo loco, quo idem narrat, ut solaretur Rhedarium, qui in via deter-

rima

rima ac præcipiti equum amiserat, illi promisisse sibi curæ fore, ut monumentum huic equo fieret, quod exæquaret amplitudinem illius, quo libuit Carolo VIII. memoriam posteris prodere Morelli sui. Huic enim sane generosissimo equo celebrem victoriam, quam in Valle Tari reportavit, referebat acceptam. Hæc vero in monumento inscribere se velle ajebat Lancisius

MORELLO
VELOCISSIMO FULGINATENSI EQUO
STATURA LICET HUMILI EXCARNIQUE CORPORIS
HABITU
SPIRITU TAMEN REDUNDANTI
QUI
SUUM NE PERDERET HERUM
VEL IN IPSO AGONE GENEROSUS STANS
DIEM SUUM OBIIT
GRATI ANIMI MONUMENTUM POSUIT
LANCISIUS.

II. Volumen continet epistolas ad Curtium Origum scriptas anno 1705. Habet & Italicam Orationem dictam a Lancisio in Academia Assorditorum, in qua ostendit, = *Non bastare l'opera benefica d'un eccelso Cittadino, se l'universal corpo de' Cittadini stessi a quella non si studia di cooperare*. Habet quoque Pastoritiam Orationem a Lancisio duarum horarum spatio compositam, & a quodam Belluzio Pisauri dictam, cujus argumentum est = *Che l'umana felicità non vien turbata, ma più tosto accresciuta dalle usanze che corrono* = Per jocum hanc se fecisse orationem ait Lancisius, ut-

que

que contrarium contrario opponeret. Nobilis enim & erudita femina Theodora Ondedeja protulerat similem Pastoritiam orationem in qua probabat, = *Che le mode e le usanze correnti tolgono gran parte dell' umana felicità.* =

III. Volumen continet varias tum Italicas, tum Latinas epistolas ad Familiares. Fatetur Lancisius omnes, quas tria hæc volumina complectuntur, epistolas, plenas esse festinationis, & pulveris.

EPISTOLARUM AMÆBÆARUM libri quinque. Utinam exurgeret aliquis, qui has epistolas in vulgus ederet. Haberent enim viri litterati, ac præsertim rei medicæ cultores, quo se utiliter oblectarent, studiosi vero Lancisii, quo magis magisque ejus doctrinam, animi virtutes, ac famæ celebritatem hominibus probarent. Profecto si illi diutius vivere contigisset, non tam sua sponte, quam amicorum hortatu incitatus has epistolas typis commisisset. Sic enim scribit Joanni Olivæ Rhodigino in epist. dat. III. Id.Octobris an. 1719. *Porro ut epistolas meas typis edere non reformidem (quanquam propere celeriterque exaratas, sempiternisque potius tenebris demandandas, quam publica luce donandas existimo) non tam facit judicium tuum, quod ab amore extortum atque ad indulgentiam flexum video, quam quod doctissima amicorum vel consulta vel responsa perire iniquum arbitror. Veniam itaque a Lectoribus polliceri licebit litteris meis, si earum saltem occasione eruditissimis amicorum commentariis rem litterariam locupletavero, ut quem voluptatis atque utilitatis fructum ex meis capere non poterunt, ex alienis, ac tuis quoque laboribus capiant.* Præter hæc epistola multa continet, quæ ostendunt, quanta fuerit Lancisius industria, quam ei omnia tempora occupata fuerint; adeo ut vere gloriari potuerit, nunquam minus se otiosum fuisse, quam cum fuisset otiosus.

DISCORSO sopra il Salasso. Non auderem pro certo commentariolum hoc tribuere Lancisio.

GIORNA-

GIORNALE intorno alle indisposizioni di S. B. Papa CLEMENTE XI. colla descrizione delle sue villeggiature.

Satis multa de Lancisio. Non tamen huic vitæ finem faciam priusquam referam quæ ipse scripsit, ut esset quod incidi posset in Fonte (huic nomen est Lancisianus) saluberrimæ aquæ, quam suo consilio ad Tyberis ripam prope Nosocomium S. Spiritus duxit S. P. CLEMENS XI.

CLEMENS XI. P. M.
AQUAM SALUBERRIMAM
TEMPORIS INJURIIS ITA DISPERSAM
UT EJUS VESTIGIUM IN RIPA TIBERIS VIX
EXTARET
NOVO DUCTU PLUMBEISQUE
COERCITAM TUBIS
EXTRUCTO FONTE MOLLITO ADITU
PUBLICO USUI COMMODIOREM UBERIOREMQUE
RESTITUIT
ANNO SALUT. MDCCXX. PONTIFIC. XX.

ΑΡΙΣΤΟΝ. ΜΕΝ. ΥΔΩΡ.

MICHA-

MICHAELI ANGELO GIACOMELLIO

ANGELUS FABRONIUS S. P.

Meminisse debes, quæ tu mihi aliquando narrasti de Francisco Lorenzinio, quo cum tibi summus usus fuit. Quam multa de ejus præstantia in poesi, de celebritate nominis, deque moribus ejusdem! Ex eo tempore in animum induxi meum illius vitam conscribere; idque præstiti proximo Sextili mense, quo fui in monte Albano caloris urbani vitandi caussa. Hoc quid quid est ad te mitto, mi ornatissime Giacomelli; & si forte tale erit, quod possint tuæ etiam aures tritæ jampridem notandis generibus horum scriptorum non omnino improbare, velim tibi persuadeas, præclarissimo viro majora me fuisse daturum, si per vires licuisset. Quod si secus rem esse cognoveris, quantum me amas, & quantum tribuere potes carissimo illi capiti, stylo ne parcas. Nihil enim magis opto, quam a tui simillimis corrigi & doceri. Vale, meque esse in ære tuo existima; nihilque mihi fore jucundius, quam si cum usuvenerit, etsi per me parum aut nihil possum,

possum, experiare aliquando singularem amorem erga te meum.

Ex Albano non. Septembris MDCCLXIV.

FRANCISCUS MARIA LORENZINIUS



RANCISCUS MARIA LAURENTINUS, seu LORENZINIUS (utroque enim modo se appellavit) filius Sebastiani Florentini, & Ursulæ Mariæ Neriæ Bononiensis, Romæ natus est IV. non. Octobris anno MDCLXXX. honesta quidem familia. Hæc enim plures edidit doctrinæ laude illustres homines. Pater ejus inter domesticos fuit Christinæ Svecorum Reginæ, gratiamque illius tenuit non minus propter mores, quam propter magnam corporis dignitatem, quæ non minimum commendat. Is filium instituendum dedit hominibus Societatis JESU tum in humanioribus litteris, tum in philosophia, quibus in studiis & naturæ bono & diligentia adeo profecit, ut nobilis inter æquales ferretur. Quo factum est, ut iidem Religiosi viri huic roganti, ut in eorum Societatem reciperetur, quamvis ætate paullo gran-

grandiori esset (agebat enim vigesimum secundum ætatis annum) libentissime sint obsecuti. Susceptæ tamen vitæ rationem undecim fere post menses propter valetudinis caussam abrumpere coactus est. Huic cum integra esset potestas constituendi quo in genere studiorum potissimum versaretur, diu secum multumque dubitavit juris prudentiæ ne, an litteris politioribus totum se daret. Ad has sua illum voluntas deducebat, ad illam multitudinis impellebat judicium, cum, quæ majori parti pulcherrima videantur, ea sæpe soleant homines amplecti. Movet autem, ac prope stupidum vulgus detinet non scientiæ nobilitas, sed privati commodi ratio, cum, videat hæc juris prudentiæ studia vendibiliora, cetera autem plerunque algere atque esurire. Prudenter igitur se gessit Lorenzinius, qui cum re familiari laboraret, forensem illam viam delegit, in qua adeo processit, ut brevi potuerit esse in eorum numero, qui consilium suum fidemque Cyriaco Lancettæ litibus judicandis XII. viro præstabant. Sed quotidie quæ jam a pueritia valde illum delectarunt mansuetiores Musæ ac Philosophia, tantum ingenium Juris prudentiæ invi-

invidentes ad se advocabant, quarum vocibus tandem sic ille paruit, ut omni alia cura abjecta, in earum sinu complexuque se abdiderit. Florebat id temporis quam qui maxime Arcadum cœtus, quem quatuordecim viri interioribus litteris præditi a. MDCXC. instituerant ad profligandam immanem illam ac intolerandam barbariem, quæ adeo Poesim infuscaverat, ut omne suum decus amitteret. In hunc cum cooptatus fuisset Lorenzinius anno MDCCV. idibus Junii nomine Philacidæ Eliaci (hujus qua de caussa commutatio facta fuerit in illud Philacidæ Luciniani; suo loco explicabimus) toto pectore incubuit, ne manerent ulla illius pestis vestigia. Qua quidem in re tanta felicitate usus est, ut si dicere nolumus propriam ejus laudem esse gloriosum hoc opus ad exitum perduxisse, fateri certe debeamus æque meritum de Poesi, quam qui conditores illius cœtus fuerunt. Erant hi in ea sententia, inverecundas translationes, tumidos & inflatos dicendi modos, ceteraque vitia, contra quæ ipsi bellum susceperant contemptui, cui Petrarcha habebatur, præsertim adscribenda, quare hunc unum esse prædicabant unde salubritas poeticæ dictionis, & in-

corruptus ſanguis & ſuccus petendus eſſet. Non diffitebatur Lorenzinius, Petrarchæ verſus ſuavitatis plurimum habere & dignitatis, & variis ingenii, aut etiam artis luminibus refertos eſſe, & animum ſæpe permovere atque impellere, ut de Amoribus ne Græcus quidem quiſquam melius: ſed verebatur ne ſi hunc unum homines intuerentur, & exemplar ſibi proponerent, in eundem illum languorem reciderent, quem plerіſque Poetarum ſæculi xvi. attuliſſe videtur plane ſervilis illius Poetæ imitatio. Quare aliam viam inſiſtendam putavit, qua ad id, quod omnes volebant, feliciori eventu perveniri poſſet. In hac ducem ſibi Dantem præſertim elegit, cui cum libenter condonaret, quas in eo dicunt eſſe maculas nimium fortaſſe ſeveri Cenſores, nihil magis optabat quam illius ſimilem eſſe in iis præſertim ſingularibus, ac prope divinis virtutibus tum granditatis, viſque verborum ac ſententiarum, tum evidentiæ, quibus conſecutus eſt, ut cum delectatione aculeos etiam relinquat in animis lectorum, & ante oculos eſſe, non narrari ea quæ legas videantur. Profecto in hoc difficili itinere hanc gloriam obtinuit Lorenzinius, ut

ut ſanum quoddam ſibi efformaverit ſtyli genus, in quo dicas ex Petrarchæ lenitate aliquid ad vim Dantis influxiſſe, & ex hac vi non parum animi inflammatum eſſe illi lenitati. Neque ſolum Italicas Muſas, ſed etiam Latinas hoc eodem tempore coluit. Namque aliquot ſunt ejus *Melodramata* (ita appellabantur ſacra poemata), quæ in quibuſdam Religioſis locis ſtatis temporibus cani ſolita erant) e quibus impreſſa fuere *Athalia*, *Bethſabea*, *Jahel Siſaræ debellatrix*, *Mater Machabæorum*, *Sedecias*, *Thamar vindicata*, *S. Magdalena de Pazzis*, quod poſtremum etiam Italicis carminibus reddidit. De his vero Poematibus hoc unum dicam, ſatis eleganter ea ſcripta fuiſſe, neque alium laudem præter hanc elegantiæ ex iis quæſiiſſe Lorenzinium. Quibus rebus cum illius nomen multum Romæ floreret, accidit, ut oriretur celebris controverſia inter Creſcimbenium & Gravinam, quæ totam diſtraxit Arcadiam. Poſita hæc erat in interpretatione tertiæ legis Arcadicæ, quæ de creandis duodecim Collegis, *

I 2 qui

* Sic ſe habet lex. Cuſtodi Vicarius & Collegæ

qui Custodi adesse debent, rogata est. Nam Gravina adversus Crescimbenium contendebat, hanc esse vim hujus legis & verborum *sex in orbem eligito*, ut non liceret semel functum munere suo Collegam, præteritis aliis idoneis, iterum eligere. Placuit rem ad concilium Pastorum referri; ac nullus erat qui non videret, si Graviniani superiores discessissent, Crescimbenium de Custodis gradu dejectum, ejusque in locum Lorenzinium suffectum iri. Erat enim ille harum partium, omniumque hujus dignitatis gloria maxime dignus existimabatur. Sed res aliter evenit. Nam plerique Arcadum secundum Crescimbenium pronuntiarunt, seque eum defensuros palam professi sunt: dictæque etiam graves sententiæ in Gravinam, ejusque sectatores, quod miscere & turbare omnia viderentur. Quæ contumelia non fregit eos, sed erexit. Nam cum sibi Custodem creassent Bracciansium Ducem Livium Odescalchium, fidem

legæ duodecim adsunto. Eorum singulis annis Custos, consulto universo Cœtu, novos sex in orbem eligito; sex veterum retineto. Administros sibi duos adsumito. Præter hæc alia munera publica ne sunto. Patronus nullus esto.

dem inter se dant, omni ope atque opera enisuros, ut adversarios e laudis possessione exturbarent; & quoniam se solos esse conservatores & custodes legum Arcadicarum gloriabantur, omnem penes se redactam esse potestatem affirmabant. Nihilo segnius, qui erant alterius partis, caussam suam agebant, cumque ceteros Exarcades judicassent, eorum nomina albo Pastorum erasere. Memorabilem ego hanc controversiam existimo, quia litteratissimi homines non magis de dominatu Arcadiæ, quam de principatu Poesis inter se contendebant. Qua in contentione magnum profecto fuit nomen Lorenzinii, quem etiam Braccianensium Dux Vicarium suum habuit. Non defuere amplissimi viri, qui rem ad otium deducere tentarunt. Sed id ne fieret maxime obsistebant Graviniani, dicentes non privati odii caussa, aut amore discordiæ a ceteris se avertisse, sed uti sartas tectas leges Arcadiæ conservarent; utque se & Arcadiam paucorum factione oppressam in libertatem vindicarent. Non est prætereundum hoc loco, Dominicum Octavium Petrosellinium adolescentem ad Poeticam natum,

qui a Gravina ſtabat, materiem ex hac controverſia ſumpſiſſe poematis ita varii, ita morati, ita concinni, ut nihil fieri poſſit elegantius. In hoc ſummis laudibus effertur Lorenzinius, cujus in intima familiaritate ille verſabatur. Tali dum pugnatur modo, moritur Braccianenſium Dux; cumque, in dies ſe fortuna inclinante, intelligerent Graviniani ſe pares amplius eſſe non poſſe adverſariis, ſtatuerunt aliquid ſibi novi conſilii capiendum eſſe. Suaſit Gravina, ut ſua adverſariis relinqueretur Arcadia, novamque ſibi inſtituerent Academiam. Quod & fecerunt. Id tamen non probavit Lorenzinius, qui in ea fuit ſententia, aut cum adverſariis concordiam reconciliandam, aut in ſuſcepta contentione perſeverandum. Quid enim erat Arcadiam relinquere, niſi turpiter ſe fateri victos; & fidem datam illius dignitatis ſe fore cuſtodes, frangere? Hanc ſi ipſi negligerent, ſe profecto ſervaturum. Itaque tertio anno poſtquam a veteri Arcadia diſceſſerat, ad illam reverſus eſt, datique ei fuere agri Luciniani, unde nomen ſumpſit Philacidæ Luciniani: nam Eliaci, quos initio poſſederat, quoſque amiſit, ut Exarcas

cum

cum ceteris Gravinianis judicatus fuit, in alterius potestatem venerant. Hujus discessum vehementer doluere Graviniani, quod ab nullo se plus adjuvari posse intelligebant ad novæ Academiæ gloriam comparandam; quodque non dubitabant plures fore, qui illius moti auctoritate & exemplo se Arcadiæ conjungerent. Sed id non tam conatus est Lorenzinius, quam ne ullæ superessent simultatis reliquiæ. Haud tamen res plane tranquillatæ sunt nisi post mortem Crescimbenii. Erat, ut initio docuimus, Lorenzinio haud magna res, hancque cum dilabi sineret, egere cæpit. Illud quoque ei accessit calamitatis, quod non defuerunt, qui in ejus vitam maledicta coniicere auderent, quibus tantum quidem tribuit Alexander Falconerius, qui severe & juste Urbi præerat, ut hominem ad se accersierit. Sed statim vidit inimicorum, quos multos habebat Lorenzinius, iniquitatem & perfidiam; ejusque admiratus ingenium, & miseratus fortunam, voluit ut loco pincernæ apud se esset. Quo beneficio tanquam ad aspiciendam lucem vocatus, potuit studia litterarum ardentius colere. Hæc enim hilarita-

tem quandam desiderant, quam in summa inopia frustra quæras. Haud pauca vertit de Latinis, & inter hæc quasdam Plautinas fabulas. Ut vero Falconerium sibi magis magisque conciliaret, scribendas suscepit vitas ejus gentilium B. Alexii, atque B. Julianæ, quarum unam anno MDCCXIX, alteram an. MDCCXXXVII. typis commisit. Iniit quoque gratiam cum Cardinali Ottobonio, cujus pleraque *Melodramata* Italicis carminibus composita Latina fecit. Maxime autem his temporibus eum districtum tenebat Anatome, cujus flagrans studium eum impulit, ut socium se adjungeret Cajetano Petriolio, qui tum Chirurgiæ magna ingenii laude operam dabat. Mirum tantam solertiam eos contulisse ad noscendam admirabilem fabricam membrorum animantium, ut potuerint quædam haud ab aliis animadversa deprehendere. Eligebant ea, quæ notatione & laude digna erant, eaque librario transcribenda dabant ea mente, ut postea in vulgus ederentur. Sed fuit qui suo nomini ex horum laboribus libare laudem voluit. Nam turpi largitione corrupto librario, scripta ab eo abstulit, iisque opus quoddam

suum

suum ornavit, quod inscripsit: *In Tabulas Anatomicas Bartholomaei Eustachii Chermesii de Fulget Commentarii*. Tantum crimen non ferendum putavit Lorenzinius. Itaque Dialogum * composuit, vulgavitque, in quo & furti reus ille convincitur, & errata quaedam ipsius falsissime exagitantur. Qua re ille vehementer offensus toto ferebatur animo ad ulciscendum Lorenzinium. Sed ne statim faceret, continuit gratia, qua ille plurimum apud Falconerium pollebat. Itaque hoc defuncto, in vulgus emisit Sermonem quemdam Latinum, in quo plane evomit virus acerbitatis suae. Sed forte non intellexit quocum sibi certamen instituerit. Nam Lorenzinius non solum paria paribus retulit, edito nomine Quinti Attilii Serrani Sermone, quem non dubito laude latinitatis Q. Sectani satyris anteponere, quemque ipse Italicis versibus reddidit, sed etiam epigrammata in eum fecit, plu-

* Huic titulus est. *IL CARDO. Dialogi d'Ignazio Carletti, ne' quali si discorre dei Comentarj di Chermesio di Fulget sopra le Tavole Anatomiche di Bartolomeo Eustachio. Tavola IX. Dialogo primo. a Leyda per Gio: Pavove'e* 1728. Nomine *Chermesii de Fulget* occultari Antonium Cocchium, qui in Archigymnasio Romano Botanicam docebat, aperte in Dialogo declaratur.

pluraque ab amicis obtinuit, eo ſapore latino condita, ut cum antiquitate certare videantur. In his præter Plagiarium illum, alii quoque, qui illius ſe fore acerrimos defenſores palam ferebant, omnibus contumeliis lacerantur. Quibus veluti fulmine illi percuſſi, ne hiſcere quidem amplius auſi ſunt. Hæc epigrammata inſcripta ſunt: *Analecta variorum Paſtorum Arcadum*, quos defenſionem ſui arripuiſſe fingit Lorenzinius. Et æquum videbatur, cum munus Cuſtodis ſuſtineret: quod qua ratione ei delatum fuerit, breviter explicabimus. Mortuo anno MDCCXXVIII. Mario Creſcimbenio, Arcades creando ſucceſſori convocantur, ſuffragia feruntur, renuntiantur, pleraque nomen Lorenzinii habere inveniuntur. Aliqua tamen deerant ad juſtum implendum numerum, quem lege quarta Arcadiæ de creando, & removendo Cuſtode, ſancitum eſt duas eſſe ex tribus partes. Illius fautores poſtulant rem revocari ad ſuffragia. Obſiſtunt adverſarii, prætexentes ſatis haud ſupereſſe diei. Latum deinde ad Arcades de abroganda lege, quod iiſdem adverſariis uſque eo viſum eſt indignum, ut ſtatim a concilio di-

ſceſ-

fcesserint denuntiantes, testificantes, jurantesque per omnes Poeticos Deos quidquam se tale nunquam probaturos. Qui superfuerunt Arcades scitum fecerunt, ut abrogaretur lex, omnesque Custodem declararunt Lorenzinium. Seges hinc atque materies magnarum discordiarum. Ad Magistratus quoque aditum est, ut quod factum erat, id irritum juberent esse. Sed cum Lorenzinius se munivisset benevolentia multorum, potuit adversariorum conatus prohibere, seque suo in munere, quoad vixit, tueri. Quo in munere haud pauca præclara gessit. Nam Colonias quinque constituit, Truentinam Asculi in Piceno, Fanestrem Fani, Parmensem Parmæ, Icneuticam Foro Livii, & Incultam Romæ in Collegio Nazzareno: in morem induxit ut hebdomadis singulis die Jovis Arcades privatim convenirent: effecitque ut in locum publicorum cœtuum, qui magna in discordia Pastorum haberi non poterant, Scena succederet. Nam cum instituisset quosdam adolescentes ad agendas fabulas Plauti ac Terentii, has spectandas dedit tanto quidem cum plausu, ut nihil potuerit supra. Id assequebantur actores industrii,

ſtrii, ut ii etiam, qui bene linguam Latinam non callerent, facile tamen ad Poetæ ſenſum penetrarent. Quare minime eſt mirandum, ſi omnium ordinum virorum magnus ad eos ſiebat concurſus. Voluit & eſſe ſpectator Fridericus Chriſtianus Poloniæ Regis filius, qui argenteo numiſmate ſingulos actores muneravit. Neque ſolum Plautinas ac Terentianas fabulas, ſed etiam dialogos Ciceronis de Amicitia, & de Legibus, contentionemque Ajacis, & Ulyxis ab Ovidio mirabiliter deſcriptam in ſcenam produxit Lorenzinius. His vero exercitationibus plurimum faviſſe CLEMENTEM XII, ex hoc intelligi facillime poteſt, quod eas tutelæ Cardinalium Gentilii & Corſinii commendavit; ac ſæpe Lorenzinium ingenti pecunia donavit, qua & theatrum inſtruere, & ſibi proſpicere poſſet. Nam, mortuo Cardinali Falconerio, iterum in egeſtate cœperat eſſe. Huic quoque ſubventum eſt a Cardinali Scipione Burgheſio, qui illum in numerum retulit ſuorum nobilium familiarium, tantaque in illum uſus eſt indulgentia, ut nunquam operas exegerit. Inter hæc Lorenzinius Parrhaſium nemus, quod fuerat

de-

decennio clausum, rursum aperuit. Data hinc occasio plurimis adolescentibus, quos ipse in poetica instituerat, in lucem prodeundi. Et si quos ex iis ingenio minus valere videbat, non patiebatur inglorios esse: sua enim & libenter & facile iis concedebat. Quo factum est, ut quasdam carminum Collectiones habeamus, e quibus si Lorenzinius auferret quod suum est, haud paucos similes superbo illi graculo omni ornatu nudatos videremus. Idem delectus fuit, qui instrueret eos qui agere debebant in Collegio Germanico Latinas Tragœdias Josephi Carpanii S. J.; ac nemo erat, qui operam ab eo exposceret, cui ipse libentissime non satisfaceret. Quod non præstabat natura solum, sed etiam doctrina: *Nam*, ut ait ille, *principum philosophorum ita percepta habuit præcepta, ut iis ad vitam agendam, non ad ostentationem uteretur*. Non semper tamen homines in se æque liberales expertus est; vitaque functo Clemente XII, cum magnis subsidiis caruisset, neque idcirco sumptus minuisset, quos in theatrum præsertim faciebat, in æs alienum incidit. Metuens ne hujus magnitudine opprimeretur

tur anno MDCCXLI. omnem suam de Latinis fabulis curam abjecit; relictaque domo, quam conduxerat prope templum SS. Laurentii & Damasi, Burghesianas in ædes habitatum venit. Quoniam hic tantum habebat otii, quantum ei nunquam antea contigerat, plura scripsit tum Italicis, tum Latinis carminibus. In his sunt aliquot ejus Sermones, in quibus Persium imitandum sibi proposuit, non illum durum & obscurum, sed salsum, acrem, & brevi, ut ipse ajebat, jugulantem mucrone. Sed præsertim ad sacrarum litterarum studia traduxit animum, sumpsitque hoc sibi, ut librum Job, & cantica Prophetarum versibus Italicis redderet, non ut interpres, sed ut παραφράστης. Quibus in rebus cum esset acerrime occupatus in febriculam incidit, quam initio ipse & medici, quanvis ventris profluvium accederet, contempserunt. Sed cum nunquam plane decederet, morbus ingravescere cæpit. Id ut sensit Lorenzinius, Josephum Carpanium, quem paullo supra commemoravimus, & quocum sibi vetus erat familiaritas, ad se accersiri jussit, sibique ut adesset rogavit. Plurima quidem in hac diu-

turna,

turna, gravique extremo præſertim tempore ægrotatione dedit ille teſtimonia conſtantiæ ac pietatis. Dicitur, cum ei morti proximo allatum eſſet ſacrum & ſalutare Domini noſtri Corpus, æſtu ingenii ſui, divinoque amore abreptum fudiſſe ex tempore carmen illud, quod incipit:

Un Dio nelle mie ſtanze? Ah non ſon degno ec.
Sed falſo ei tributum fuiſſe, & ſtylus, quique domum ejus frequentabant, fidem faciunt. Diem extremum obiit poſtridie id. Junii anno MDCCXLIII, eique honeſtum funus in Templo S. Nicolai *de' Perfetti* Cardinalis Burgheſius faciendum curavit. Ibidem conditus eſt, tumuloque triennio poſt hæc inſcripta fuere.

D. O. M.
FRANCISCO LORENZINI ROMANO
LITTERARII ARCADUM COETUS
CUSTODI GENERALI
DOCTISSIMO VIRO POETAE SUMMO
MICHAEL JOSEPH MOREI
ARCADIAE CUSTOS
DECESSORI CLARISSIMO

AR-

ARCADUM CONSULTO
POSUIT
ANNO MDCCXLVI.
OBIIT ANNO MDCCXLIII.

Deberi quoque Arcades hoc a ſe tanto viro putarunt, ut mortem illius carminibus deflerent, hocque elogium Parrhaſio in nemore inciderent.

 C. V. C.
PHILACIDAE LUCINIANO
ARCADIAE CUSTODI GENERALI
COETUS ARCADUM
VIRO MAXIMO
OLYMP. DCXXX. AN. III. AB. A. I.
OLYMP. XIV. AN. II.

Præclara hæc quidem ad diuturnitatem gloriæ: ſed his perenniora erunt elegantiſſima illius carmina. Pauca quidem ſunt in manibus, ſi numerus ſpectetur eorum, quæ ſcimus condidiſſe. Nec omnia propria illius dicere debemus, ſi ea excipias, quæ leguntur decimo in volumine *delle Rime degli Arcadi*. Utinam aliquis reperi-

periretur, qui vera a falsis distingueret, qui quæ sunt alieno nomine vulgata, suo auctori restitueret, quique plura ab hoc relicta sedulo perquireret, omniaque in lucem proferret. Profecto huic Italica Poesis non parum deberet, ut plurimum certe debet Lorenzinio, quod inter primos Romæ viam muniverit ad genus scribendi nervosum, grande, atque magnificum. Idem etiam, si res posceret, dulcis erat, suavis & venustus. Sed præsertim in eo altero genere excellebat. Habet ille quidem multa & præclara intelligentium virorum judicia, sed mihi unus instar est omnium Vincentius Gravina, qui solitus erat dicere, Lorenzinium alterum esse Homerum. Ejus domum quoque comparabat modo equo Trojano, ex qua scilicet non belli duces, sed egregii Poetæ plurimi in apertum prodirent; modo antro Apollinis, unde qui ingrederentur, Poetæ redirent. Libet hoc loco referre Jambum ejusdem, quem scripsit in quodam libello carminum Lorenzinii, quæ ipse collegerat.

Petrarcha primus temperavit Italam
Lyram, sed usus artibus Scholasticis,

K *Quas*

Quas illius ferebat ætas squallida.
Post cultiores prodiere litteræ
Sacri Leonis a favore provido,
Qui versi ones provocans, Grajum novas
Exsuscitavit, & Latinas Gratias.
Hos anteire cum studeret Ciampolus
Musarum adulter, & Marinus impudens,
Et qui Petrarcham nominarunt aridum,
Inanc murmur, spumeosque turbines
Stulti dedere, & dum cavent communia,
Feruntur imprudenter ad contraria.
Qua peste multi saniores territi
Stylo Petrarchæ muniuntur sobrio:
At cum Poetæ verba misso spiritu
Texant, neque ultra quam Petrarcha prodeant
Per cantilenas, perque eorum nenias,
Vox vana sensu destituta circuit.
Sed qui POETA paganis istis canit,
Parique quisquis educatur sidere
Ab aridis declinat atque turgidis,
Dircæa tutus dum pererrat flumina.

Sed quemadmodum laudatores quamplurimos habuit Lorenzinius, ita obtrectatores (quod fatum est clarissimorum virorum) ei non defuerunt

runt, qui illius ſcribendi genus non ipſius viribus, ſed imbecillitate ſua metientes, dixere ſæpe plus æquo efferri, ac etiam turgeſcere, nec varietatem quandam habere. Sed hos confutare neque neceſſe eſt, neque eſt hujus loci. Tantum monere volumus eos, qui ſe Lorenzinianos profitentur, ſtulte errare, ſi ex eo quod pauca verba illius ſint imitati, hoc nomen mereri putant. Sunt multo plura, & majora, ad quæ aſpirare non poſſunt niſi ii, qui natura valent, & mentis viribus excitantur, & quaſi divino quodam ſpiritu afflantur; qui in ſcriptis veterum ſtudioſe, & multum ſint volutati, quique judicio ſummo ſint præditi, ut intelligant, qui ſunt recti fines, dum illum feliciter audentem conſectari volunt. Noverat optime Lorenzinius, quod

Scribendi recte ſapere eſt principium & fons: quo factum eſt, ut nunquam intermiſerit ſtudia Philoſophiæ: ſacris vero litteris tantum operæ navavit, ut non facile reperire poſſis quid ei fuerit incognitum. Nec leviora quoque ſtudia contempſit: nam non ſolum de ſignis, picturis, ædificiis rectiſſime judicabat, ſed etiam

pastillis haud ineleganter pingebat. Ob quam rem a nonnullis harum artium peritis mirifice colebatur, eosque multum consilio suo juvabat. Fuit autem procero corpore, formaque ad dignitatem adposita; sed sui & omnis munditiæ ita despiciens, ut Cynicum dixisses. Jocis & conviviis plurimum delectatus est. Idem suspicax, pronus ad iram, & paullulum turbulentus. Etiam machinatio, & illa astutia quæ vult illa quidem videri se esse prudentiam, sed abest ab ea, distatque plurimum, haud raro visa est in eo. Adversam vero fortunam moderate tulit; divitias non expetebat, ac sæpe oblata sibi a Cardinali Gentilio Clementis XII., ut vocant, Datario, sacerdotia constanter recusavit. Quod non tantum moderationi, quam Religioni tribuendum est. Intelligebat enim, Ecclesiæ bona iis solum deberi, qui ad ministerium illius a Deo sunt vocati. Fide fuit singulari, ac liberalitate in amicos, ut possit judicari, omnia ei cum ipsis fuisse communia. Plurimum valebat in genere dicendi gravi, aptoque ad persuadendum, quod sæpe fervor quidam inflammabat. Nunquam de se glo-

gloriosius prædicavit, levisque animi esse dicebat quærere laudes hominum, quasi mercedem meritorum. Nihil ei optabilius & jucundius erat quam impertire ceteris, quam ipse consecutus fuerat, præstantiam doctrinæ. Ex quo factum est, ut ejus domus, tanquam ludus quidam, semper patuerit industriis adolescentibus.

Opera edita

RIME: Non uno in loco impressa sunt carmina Italica Lorenzinii, videlicet Mediolani, Venetiis, Neapoli, Præneste, & Foro Livii. Romæ vero edita fuere cum carminibns Italicis aliorum illustrium Arcadiæ Pastorum. Separatim a reliquis volitant per manus hominum Παραφράσεις Canticorum Moysis, quæ sic incipiunt: *Audite, Cæli, quæ loquor*, & *Cantemus Domino gloriose*: Debboræ: *Qui sponte obtulistis*: trium Puerorum: *Benedicite omnia opera Domini*; atque Ode sane nobilissima, quam dixit in ædibus Cardinalis Ottobonii, cum Marcellus musicus docuisset canere ad harmoniam Psalmos Davidicos.

MELODRAMMATA varia. Hæc sunt:

—— *Jahel Sisaræ debellatrix*: Romæ apud Joannem Franciscum Buagnum 1701. in 4.

—— *Athalia*: apud eundem 1703. in 4.

—— *Sedecias*: apud eundem 1704. in 4.

—— *Mater Machabæorum*: apud eundem, eodemque anno, in 4.

—— *Thamar vindicata*: apud eundem 1706. in 4.

—— *Diva Maria Magdalena de Pazzis*. Italice & Latine apud eundem Buagnum 1707.

—— *Bethsabea*: àpud eundem 1708.

MELODRAMMATA Cardinalis Ottobonii a Lorenzinio in Latinum versa.

VITA del B. Alessio Falconieri. Roma presso Francesco Gonzaga 1719.

—— *della B. Giuliana Falconieri. Roma nella Stamperia del Komarek*. 1737.

IL CARDO. Dialogi d' Ingnazio Carletti, ne' quali si discorre dei commentarii di Chermesio di Fulget sopra le tavole Anatomiche di Bartholomeo Eustachio. Tavola IX. Dialogo Primo: a Leyda per Gio: Pavovole 1728.

SERMO Quinti Attilii Serrani. Latine atque Italice editus.

EPIGRAMMATA in eundem Chermesium. Inter *Analecta varia Pastorum Arcadum*.

FRANCISCO MARIÆ ZANOTTO

ANGELUS FABRONIUS S. P D.

H*Abes Manfredii vitam , Zanotte doctissime . Fateor , me ad illam scribendam timide accessisse , quod verebar , ne me non solum reprehensione , sed etiam pœna dignum homines putarent , quod ego qui neque usu satis , ingenio parum possum , de illo scribere susceperim , qui vel peritissimum scriptorem deterrere debuisset . Periculum est enim , ne dum talium virorum extollere quis gloriam velit , minuat . Illud quoque augebat timorem meum , quod omnino necesse erat loqui de rebus altioribus , quam ut eas ego humi stratus suspicere possim . Sed quoniam in hunc cursum ingressi sumus , ut vitas scribamus illustrium doctrina Italorum , qui hoc sæculo floruerunt , non prætermittendam esse duxi vitam Manfredii , præsertim spe sustentatus , fore te mihi judicem , & adjutorem quoque , si opus esse videretur , ad illam conficiendam . Nam cum in te omnes singularem doctrinam prædicent , non*

minorem tamen laudem tribuunt humanitati tuæ, qua nunc te uti vel maxime decet, neque defugere onus expoliendi, perficiendique hoc opusculum meum levidense crasso filo. Siquidem non solum me tibi in perpetuum devincies, sed officium quoque præstabis Patriæ, hominique, qui cum te unice, in vivis dum fuit, dilexerit, hanc modo mercedem caritatis exigere videtur. Non puto te pluribus egere, ut meo desiderio satisfacias. Cura igitur ut valeas, meque tui studiosissimum, ut facis, ames.

Romæ Kal. Januarii MDCCLXV.

EUSTACHIUS MANFREDIUS.



EUSTACHIUS MANFREDIUS Bononiæ natus est patre Alphonso, matre Anna Maria Florena anno a Christi ortu MDCLXXIV. XII. Kal. Octob. Pater ejus Alphonsus e Luco, quod est florentissimum oppidum Ferrariensis Provinciæ, Bononiam concesserat, ibique Notarium agebat. Hic prout ipse amabat litteras, omnibus doctrinis, quibus puerilis ætas impertiri debet, moxque Philosophia filium ab optimis præceptoribus

bus erudiendum curavit. Quibus in ſtudiis tanto ille anteceſſit condiſcipulos, ut facile intelligi poſſet, ad quamcunque facultatem ſe applicuiſſet, pari modo omnes ſuperaturum. Pater itaque perpauca in re quæſtus illecebra invitatus, juſſit eundem ad juris prudentiam potiſſimum ſe conferre, cui quidem ſic dedit operam, ut annos natus duo de viginti inſignia doctrinæ ſit aſſecutus. Sed præſertim illum ad ſe alliciebat Philoſophia, cujus ſtudium pariter cum ætate in eo creſcebat. Videns vero adoleſcens ingenio acutiſſimus, quod ſiquis ab ea Philoſophiæ parte, quæ in tenebricoſis, naturaque involutis quæſtionibus verſatur, lucem Mathematicarum facultatum tolleret, nihilo plus agere quam ſi tenebras tenebris offunderet, eas ſibi excolendas, nemine licet præeunte, putavit. Ad Geometriam, & Geographiam contulit ſe primum, mox ad Gnomonicam, & Opticam, & ad reliquas deinceps. Neque his contentus, Aſtrologiam (1) quoque attingere voluit, credo invitatus multorum illuſtrium virorum exemplo, e quibus nominaſſe ſufficiat Galileum, & Guglielminium, quos illa ætate

non

non puduit huic facultati multam operam impendere. Sed hoc ſpecimen fuit prudentiæ Manfredii, quod licet, ut caſus fert (nam quæ ratio afferri unquam poterit cur, exempli gratia, ſtella Jovis, ac Veneris conjuncta cum Luna ad ortus puerorum ſalutaris ſit, Saturni, Martiſve contraria?) ex natalitiis quorundam ſideribus nonnulla vere prænuntiaverit, rem tamen ratione magis æſtimans quam ſucceſſu, ſic eandem illam facultatem poſtea irriſit, ut nemo unquam irriſerit magis. Neque ſubtiliſſimarum facultatum unus ardor erat in eodem. Nam Italicæ Poeſis ſuavitate captus, ita ſe legendis ſcribendiſque carminibus dedit, ut inde vel præcipuam ſibi famam comparaverit, magna quidem immaturæ ejus ætatis commendatione, quod non æqualibus modo ſuis in eo genere antecelleret, verum etiam cum claris viris conferretur, qui Poeſis laude præſtare tum putabantur. Hæc ſunt curricula, in quibus prima Euſtachii adoleſcentia, impetu quodam animi concitata ſe exercuit. At rerum varietas ac magnitudo, quas ille guſtavit in Mathematicis diſciplinis, adeo harum inflammarunt amore, ut penitus re-

licta Juris prudentia, earundem studium ratione atque ordine sibi instaurandum putaverit. Florebat tum Bononiæ mathematicus summus Dominicus Guglielminius, cujus paullo supra mentionem fecimus, huncque Eustachius adeo admiratus est atque adamavit, ut se totum ei traderet. Neque vero minus Guglielminius delectatus est Manfredio. Etenim hic singulari ingenio singularem industriam cum adjungeret, dubitare non sinebat talem futurum, qualem cognitum omnes postea judicarunt. Ad hoc fulgebat in adolescente virtutis indoles cum quadam specie liberali, ex quo eximium illud nescio quid videbatur existere, quod homines allicere solet. Sed quamvis Eustachius dies ac noctes in rerum gravissimarum meditatione versaretur, aliquid tamen temporis nanciscebatur, ut se cum Musis oblectaret; sicque tristitiam severitatemque disciplinarum Mathematicarum mitigaret ac relaxaret. Nemo ignorat, & nos sæpe dolebimus, quantum superiori sæculo detrimentum fecerint humaniores litteræ. Suo regno pulsa Italica Poesis, in quo collocata fuerat opera præsertim Dantis & Petrarchæ, nec

non

non doctiſſimorum virorum, qui ſæculo XVI. floruerunt, jacebat in ſitu ac ſqualore. Ea enim caligo perſtrinxerat mentes hominum, ut nullus eſſet ſcriptorum delectus, nullæ leges, inflatum ac tumidum vigeret dicendi genus, exquiſita antitheta, abſurdæ translationes, putidæ argutiolæ, & reliqua hujuſmodi vitia, adeo ut qui pejus dicerent, melius loqui putarentur, ac nemo poeta haberetur, qui illis vitiis non eſſet infectus. Quæ peſtis cum late eſſet graſſata, ut reliquas Italiæ urbes, Bononiam quoque invaſerat. In has corruptelas cum incidiſſet prima Euſtachii ætas, hunc abſorbuit quidam conſuetudinis æſtus, & ad ſcriptionis morem uſitatæ traxit. Verum, ut erat ille acerrimo judicio, ſenſit cito quantis in tenebris verſaretur; cumque ad veteres ſcriptores tanquam ad lumen reſpexiſſet, ſanum, ac ſplendidum ſibi comparavit ſtylum, qui non ſolum paucis iis viris, quibus cor ſaperet, fuit acceptiſſimus, ſed etiam iis, qui de via deflexerant, probari cæpit, quod in eo plenum quiddam ac ſonans eſſe videbatur. Hoc ſtylo conſcripta ſunt carmina, quæ in unum librum collegit, ac

ac ſemel iterumque vulgavit Joannes Petrus Zanottus: nam quæ ſibi adoleſcentulo, ſeu potius puero exciderant, ne quid apud poſteros de laude ſua detrahi aliquando poſſet, in ignem conjecit. Sunt in eo libro quatuor ſupra quinquaginta illorum breviorum poematum, quæ nos Itali dicimus *Sonetti*; quo in genere non video, cui cedere debeat Manfredius. In his nihil aut durum, aut inſolens, aut humile, aut longius ductum, ſed omnia libere fluentia, omnia pura ac propria, omnia ſplendide dicta, ſuoque loco poſita; apteque adeo extrema cum primis inter ſe cohærent, concluduntque ſententiam, ut nihil demi vel addi poſſe videatur. Sunt & quædam *ᾠδαί*, *Canzoni* nobis dicuntur, quarum prima, quæ eſt de laudibus Juliæ Vandiæ, dum illa virginem ſeſe Deo dicaret; tantum meruit plauſum, ut Muſarum hoſtes ii haberentur, qui illam memoria non tenerent. Puellam ſane formoſiſſimam amaverat Manfredius, idque verſibus ſic expreſſit, ut amores & Poeta digni, & Virgine viderentur. Sunt etiam alterius generis carmina, & meo quidem judicio nihil nobilius eo, quo laudes ac virtu-

tes

tes cecinit immortalis Regis Ludovici XIV., iisque duobus, quæ inscribuntur *del Paradiso*, in quibus Dantem imitatus, sic illum assecutus est, ut haud sciam, an ei par esse possit. In his multa admiscuit ex intima philosophia, exposuitque splendide, ornateque Cartesii decreta de vorticibus, quæ etiam tum Italicis Musis fuerant incognita. Sic cum Eustachii adolescentia esset multis litteris ad summam laudem ornata, & in illum omnium conjecti oculi essent suorum civium, facile obtinere potuit munus docendi in patrio Gymnasio Mathematicas disciplinas. Hic vero primus fuit fructus, præter illum laudis & gloriæ, quem cepit idem studiorum suorum annum agens vigesimum sextum. Conflictatus tamen est cum adversa fortuna. Pater ejus, domo familiaque relicta, Romam concesserat, ubi cum aliquandiu in egestate vixisset, tandem amicorum opera Tusculanam Præfecturam consecutus est. Sed ex hac tantum non capiebat emolumenti, ut eo consulere filiis posset suis, cum vix sibi sufficeret. Eustachius ergo, uti natu maximus, partes suscepit regendæ, ac sustentandæ familiæ. Verum

cum

cum re familiari, ut initio docuimus, valde laboraret; cumque exiguum esset annuum stipendium, quod ei de publico ærario numerabatur, brevi in summas angustias se adductum sensit. Hac ille perculsus calamitate non succubuit, neque eo secius studiis suis vacavit. Sed illa etsi animi magnitudinem non frangebat, tamen imminuebat. Verum non diu is caruit amicorum in se tuendo facultatibus, in quibus enituit Joannes Joseph Ursius, vir non minus litteris, ac virtutibus, quam opibus, ac generis nobilitate clarus, qui posse liberalitate uti in amicos maximum pecuniæ fructum esse semper censuit. His subsidiis Eustachius non modo suis prospicere, sed privatam quoque speculam ornare potuit. Nam hoc tempore quantum vacabat a publico munere, tantum Astronomiæ studio tribuebat, quod tribus annis ante susceptam hanc docendi provinciam, aggressus fuerat. Caussa aggrediendi hæc fuit. Jacebat deserta & neglecta omnium celeberrima Meridiana linea (quæ enim est alia sive gnomonis altitudo, sive divisionum subtilitas, sive Auctoris fama spectetur, quæ cum illa comparari possit?) quam

quam Bononiæ in S. Petronii an. MDCLXV. Aſtronomus ſummus Dominicus Caſſinius conſtruxerat. Nemo enim in ea urbe erat, qui Aſtronomiæ ſtuderet, cujus ſtudium etſi aliquando coluerat Guglielminius, anni tamen plures erant, cum illud intermiſerat; nec ſpes erat fore, ut illud in conſpectu ſuorum civium renovaret, cum hoc tempore honeſtiſſimis ſane conditionibus invitaretur a Senatu Veneto ad tradendas Patavino in Gymnaſio Mathematicas diſciplinas. Id animadvertens Euſtachius vidit ſine ſummo Patriæ dedecore fieri non poſſe, ut diutius admirabili illi inſtrumento ſui deeſſent Aſtronomi. Itaque, ſocio ac conſorte glorioſi laboris ſibi aſſumpto Victorio Stancario ſingularis ingenii adoleſcente, quocum a condiſcipulatu vivebat conjunctiſſime, ſibi experiendum putavit, quid in hoc ſtudio aſſequi poſſet. Cum igitur illius ſcientiæ principia a quibusdam libris, quos in promptu habebant, hauſiſſent, cumque nonnulla ſibi comparaſſent inſtrumenta, cœperunt totas noctes inſumere in cæli contemplatione, notandiſque ſtellarum, planetarumque motibus ac trajectionibus. Nocturnæ hæ obſer-

servationes institutæ sunt apud Stancarium, mox fieri placuit apud Manfredium, qui in superiori ædium parte ad id satis idoneum locum destinaverat, quem inter cetera ornabant haud magna linea meridiana, horologium cycloide instructum (2), cui simile nondum aliud in Italia elaboratum fuerat, atque instrumentum ad dignoscendos transitus planetarum, quod quidem non eo artificio perfectum erat, quale nunc opera Anglicorum habemus. Admirabantur omnes Manfredii, ac Stancarii ingenia, eaque pene divina prædicabant, quod potuerint præclaram, difficilemque hanc siderum scientiam ab interitu, nullo præeunte, suis ipsi conatibus vindicare. Multi quoque rei novitate allecti ad eos concurrebant non adjutores, sed curiosi auditores, spectatoresque; quibus omnibus ii faciebant satis, quod non putarent homines facillimi, humanissimique irascendum esse intempestive accedentibus, & inepte interdum interrogantibus, ne in odiosam morositatem inciderent. Verum plane digni fuerunt, quos haberent observationum suarum participes, Joannes Baptista Morgagnius Stancarii contubernalis,

 tres

tres non modo fratres, ſed etiam, quod mireris, binæ ſorores Euſtachii, qui omnes Aſtronomis noſtris multis in rebus magno erant uſui. Harum obſervationum ſeriem ad annum uſque MDCCIII., unde initium ſumunt obſervationes habitæ in ædibus Ferdinandi Marſilii, in quas Euſtachius paullo ante immigraverat, idem accurate perſecutus eſt in eo libro, quem *de Schedis Mathematicis Stancarii* compoſuit. Eodem anno MDCCIII. librum edidit *de Solaribus maculis*, quæ maculæ improviſo e Sole emergentes, omnium Aſtronomorum ſtudia (dudum enim deſiderabantur) mirum in modum commoverunt. Hunc librum qui legerit, intelliget quæ fuerit in illis maculis & directio, & celeritas notata, quæ duo maxime inveſtiganda erant; ad quod quantam diligentiam Euſtachius, ejuſque ſocii contulerint, ex hoc conjici facile poterit, quod eorum obſervationes fere omnino conſentientes fuerint cum iis, quas in Gallia ſummi viri, iique diligentiſſimi habuerunt. Ab hoc curriculo, in quo Euſtachius tanto animi ardore, tantaque nominis ſui gloria verſabatur, deflexit parumper, animumque ad Hydro-

Hydroſtaticam tranſtulit. Nam anno MDCCIV. Senatus Bononienſis coercendis ſui agri fluminibus, a quibus maximæ calamitates impendunt, illum præfecit. Scimus apud Perſas officium Præfecti aquarum inter præcipua illius gentis munera recenſeri, ſummoque in honore eſſe; ac nonniſi cives fide, & induſtria cognita ei præeſſe. Eſt & eodem loco apud Bononienſes, ſed contraria prorſus ratione. Nam quod illic ſiccitas, difficultaſque ſatis & æqualiter terras rigandi, hic facit aquarum copia, ac difficultas illas dirigendi, avertendique. Cum provinciam ſuſtinuiſſet quindecim circiter annis Guglielminius, hanc aquarum ſcientiam anguſtis antea limitibus circumſcriptam adeo provexerat, ut ſcientiam propemodum novam effecerit. Intelligens ergo Manfredius, quam ſcopuloſo difficilique in loco verſari deberet, quantoque viro ſuccedendum eſſet, verecunde ac dubitanter onus ſuſcepit. Sed ſe ipſum non norat, nec ſatis ſciebat quid in hoc etiam genere efficere poſſet. Vigebat tum maxime celebris controverſia Bononienſes inter & Ferrarienſes de reducendo Rheno in Padum, cui ſe quoque immiſcuere Ve-

 neti,

neti, Mantuani, Mutinenſes, ac pene omnes Ciſalpinæ Galliæ populi. Non eſt credibile, quantum negotii Manfredius cum his omnibus habuerit, quantiſque implicitus fuerit moleſtiis. Sed vis & magnitudo caritatis ergo Patriam efficiebant, ut facile omnia ejus cauſſa perferret. Multa ſcripſit ut id quod intenderat confirmaret, & id quod contra diceretur, refelleret; quod docte adeo, ſcienterque præſtitit, ut inde magnam famam ſit conſecutus. Quæ cum percrebeſceret in dies magis, eo tandem pervenit, ut fere omnes hujus generis controverſiæ ex univerſa Italia ad ipſum deferrentur, neque ulla res major geſta ſit, de qua prius decretum fuerit, quam Manfredii ſententia cognita. Quæ ſingula ſi vellem explicare, non vitam ejus enarrare, ſed hiſtoriam viderer ſcribere, idque non ſine lectorum ſatietate. Itaque præcipua capitulatim exponam, ne minus lucide appareat, quantus in hoc genere vir ille fuerit. Lucam venit, ut eſſet judex controverſiæ, quam Lucenſes cum Hetruſcis habebant de dirigendis aquis fluminum Auſeris & Oſeris. Iidem Lucenſes illum & conſuluerunt, quid ſibi facien-

faciendum esse putaret, ut siccarentur paludes, quæ sunt in viciniis Viaregii; utque impedirentur alluviones, quæ sæpe fiebant in ea parte, qua Auser in Oseris alveum influit. Tutiorem docuit derivationem aquarum, quæ ex Clanibus fluunt. Ejus consilium (3) magnæ utilitati fuit Fanensibus in instauratione portus. Sed præsertim Ravennatibus multam & utilem operam præbuit in contorquendis in alium cursum aquis Bedesis & Vitis. In eo congressu, qui anno MDCCXXV. sibi fuit cum claris Mathematicis Faventiæ apud Cardinalem Piazzam, ita Patriæ caussam sustinuit adversus Corradum, qui in ea erat sententia per novum alveum deducendas esse Bononiensis agri aquas, ut non modo superior discesserit, sed etiam coegerit adversarium fateri, magno se in errore versatum fuisse. Triennio post venit quoque in congressum colloquiumque cum summis mathematicis Grandio, Zendrinio & Marinonio, laudemque non minus boni civis (nomine enim Patriæ venerat) quam doctissimi hominis reportavit. Consultus est de ratione exsiccandi Pontinam paludem, deque restituendo Antiano portu.

Qua in postrema consultatione singularis cognita est Manfredii modestia. Etenim nonnisi ægre admodum ab eo impetrari potuit, ut sententiam suam proferret, cum diceret, parum se nosse vim & naturam aquarum fluentium, penitus vero ignorare vim & naturam maritimarum. Hæc omnia vero utrum eidem magis gloriosa, an laboriosa fuerint, non facile est judicare. Nam & difficillima itinera sæpe suscepit iniquissimis temporibus, & interdum etiam vitæ periculum subiit. Id maxime evenit ei cum Auseris ripas, totumque aquarum cursum e superiori loco prospicere, eamque ob caussam manibus, pedibusque adnixus in altissimæ rupis verticem evadere voluisset. Nam eo processit, ut neque pendere ibi diu, neque progredi posset, neque jam regredi tutum esset in salebrosa, & horrenda crepidine, flumine rapido minaciter subterfluente. Hæsit aliquantulum stupenti similis, ubi repente se tot cinctum periculis animadvertit. Sed cito animum revocavit, imploratoque Dei, hominumque auxilio, potuit se usque adeo sustinere, quoad scalæ & funes alla-

tæ

tæ ſunt. Paucis menſibus antequam Manfredio aquarum Præfectura daretur, electus fuit ad regendum Collegium Montis Alti, quod olim à Sixtus V. ad homines ſuæ Provinciæ in doctrinis præſertim Eccleſiaſticis erudiendos Bononiæ condiderat. Plane hoc munus non erat dignum viribus Manfredii, qui majora in Republica onera ſuſtinere poterat. Subiit ille tamen, quo facilius domeſticæ ſubvenire poſſet inopiæ. Ac primum omnium ad conſtituendam diſciplinam adjecit animum; & quanquam ſibi res eſſet cum indomitis, & effrenatis adoleſcentibus, qui deſertis liberalibus ſtudiis, & repudiata omni diſciplina, regi antea nullo modo potuerant, tantum tamen lenitate, prudentia, optimiſque præceptis atque inſtitutis effecit, ut ii, poſita paullatim ferocia, petulantiaque, collegerint ſe ſe, atque ad bonam frugem redierint. Pari felicitate uſus eſt in excitandis iis ad laborem, doctrinarumque ſtudium. Nam brevi eo ventum eſt, ut plures eſſent qui freno, quam qui calcaribus egerent. Ex his multi inſignes Theologi, legum ſacrarum periti, ac Poetæ quoque haud vulgares extitere. Sed

 ſatis

ſatis mirari non queo, quomodo Euſtachius, qui erat cum animo, tum opera diſtentiſſimus, qua de Collegio, qua de aquis, qua de Gymnaſio, potuerit non modo ad ſtudia Aſtronomiæ redire, ſed etiam in humanioribus litteris verſari. Anno enim MDCCV. vulgavit Latinam epiſtolam ad præſtantiſſimum mathematicum Dominicum Quartaronium, qua defenſionem ſuſcepit cujuſdam Anonymi ab illo impugnati, qui ſexdecim propoſitis capitibus, urgebat correctionem Kalendarii. Biennio poſt, cum primus omnium Cometam in Capricorni aſtro animadvertiſſet, hunc diligentiſſime obſervavit toto eo tempore, quo in cælo apparuit (id fuit a die VII. Kal. Decembris ad Januarii initium) ejus curſum accurate deſcripſit, & puncta præcipue conſtituit, in quibus idem Eclipticam, & Æquatorem, ut itineris ferebat ratio, ſecuit. Parallaxim (4) quoque Caſſiniana methodo quæſivit, ſed ea fuit ſi non plane nulla, at certe uſque adeo exigua, ut plane nulla videretur. Planetarum etiam conjunctiones, oppoſitioneſque ab eo & ſociis determinatæ, Veneris ſidus in ipſa cum Sole conjunctione in Meridiano deprehenſum,

ſum , multæ denique aſtrorum poſt lunam oc-cultationes tam noctu , quam interdiu adnotatæ. Inierant hi quaſi quandam ſocietatem obſervationum cum celebrioribus Europæ Aſtronomis ; hique erant Romæ Franciſcus Blanchinius, Genuæ Paris Marchio Salvagus, Mutinæ Cajetanus Fontana, Parmæ Achilles Beccadellius, Tiguri Joannes, & Jacobus Fratres Scheuchzeri, Norimbergæ Eimmartus, Wrzelbaurius, Mullerus; Maſſiliæ Antonius Laval, Montiſpeſſulani Bonius, Plantada, Clapiæus ; Lutetiæ Caſſinius major, & Maraldius. Cum his igitur ſæpe Euſtachius per litteras egit de rebus cæleſtibus, aliiſque graviſſimis ; ejuſque ſententia magni erat apud omnes momenti ac ponderis. Præter hæc Ephemerides motuum cæleſtium, de quibus mox dicemus, ſcribendas ſuſcepit. Ut vero de manſuetioribus Muſis benemereretur, defenſionem arripuit Joannis Joſephi Urſii adverſus Scriptores Ephemeridum Trevolitienſium, confecitque Italicam epiſtolam ſumma elegantia conditam, in qua demonſtrat, injuria ab illis inſimulari Marinum nimium exquiſitæ ſententiæ, quod deflens obitum Poetæ Aloyſii Gradonici familia-

ris

ris sui, dixerit Musas cum eo & mortuas, & sepultas fuisse (5): simul & illud ostendit Gallicam Poesim, si subtraxeris metrum, & illud similiter desinens, haud distingui a soluta oratione: contra Italam quasi alia quadam lingua loqui, suasque habere formas excogitandi; & ex hoc discrimine fieri, ut Galli haud gustent rationem, quam in suis carminibus Itali Poetæ sequuntur. Ex hac profecto epistola apparet, quanto ingenii acumine præditus esset Eustachius, & quam doctus intelligensque esset existimator veteris Poeticæ, nostræ, & Gallorum, in quorum scriptis præsertim Tragicorum eum scimus in adolescentia studiose & multum volutatum, eorundemque quasdam etiam Tragædias Italas fecisse. Nec multo post, rogatu Marii Crescimbenii, accurate eleganterque more suo vitam scripsit summi viri Marcelli Malpighii, eaque legitur in primo volumine Vitarum illustrium Arcadiæ Pastorum. Sed in primis in eo elaboravit Eustachius, ut Italicæ Poesis studiosi haberent collectionem aliquam, quæ a Poetis sæculi XIV. ad ultimos usque procedens, contineret quidquid præstantius ipsi condide-

derant in eo poeſeos genere, quod lyricum appellatur; & ex qua, quæ cujuſque ætatis, celebriorumque auctorum ſcribendi ratio voluntaſque fuerit, intelligi poſſet. Ad hanc conficiendam neceſſe ei fuit omnium pene Poetarum libros evolvere, ex quibus quidquid elegit, non ſolum illo ſuo ſincero & ſubtili judicio, ſed aliorum etiam intelligentium virorum probari voluit. Qui vero legat ea, quæ præfatus eſt in primo volumine, non multum deſideret hiſtoriam contextam mutationum quas habuit Itala Poeſis. Atque ex hoc opere laudem ipſum non quæſiiſſe ex hoc conjici poteſt, quod illud nomine Auguſtini Gobbii, qui Alumni locum Collegio in Piceno obtinebat, vulgavit. Parva quidem hæc ſunt, ſi ſpectentur ſumma illa ſua in litteratorum Rempublicam, & in Patriam merita, ad quæ magis magiſque declaranda libet aliqua interponere de origine Bononienſis, ut vocant, *Inſtituti*, adjectæque ei Academiæ. Aloyſius Ferdinandus Marſilius vir nobilitate & opibus, & bellica virtute, doctrinaque ornatiſſimus, cum intelligeret Phyſicam, ſi ſit præſertim a Geometria ſejuncta, ſine ope experimentorum, obſerva-

ſervationumque mancam ac debilem eſſe; hæc vero capi atque haberi ſine magno inſtrumentorum, machinarum, ceterarumque rerum apparatu non poſſe, ſtatuit hac in re civium ſuorum utilitati conſulere. Itaque occaſionem idoneam nactus propter multa, quæ ei ſuſcipienda fuerunt itinera ſive ad bella gerenda, ſive ad componenda fœdera, vir ſcientiſſimus teleſcopia, horologia, quadrantes, organa alia aſtronomica, machinam Boyleanam præſtantiſſimam, microſcopia, magnetes inſigni vi, barometra, thermometra, inſtrumenta tornandorum corporum, foſſilia omne genus, metallorum matrices, ſales, ſulphura, pellucidos lapides, aliaque ejuſmodi permulta infinito labore ac ſumptu comparavit; eaque omnia Bononiam in domum ſuam deportanda curavit. Ad hanc cum multi ingenii laude præſtantes adoleſcentes rerum novitate allecti confluerent, iiſdem illis rebus impulſi atque incenſi ſunt ad naturæ inveſtigationem. Verum unus omnium maxime florebat Euſtachius, qui, ut ſupra demonſtratum eſt, in eandem domum immigraverat, propterea quod Marſilius tractandæ cuſtodiendæ-

que

que litterariæ huic ſupellectili ipſum præfecerat, ædificandæque ſpeculæ curatorem conſtituerat. Sic domus Marſilii; quaſi ludus quidam, atque officina reconditiorum diſciplinarum effecta eſt. Ille interim de condendo *Inſtituto* cogitare cæpit, qua in re principem conſilii Euſtachium habuit. Acta cum Senatu res eſt, cumque conditiones conveniſſent, Marſilius omnia illa, quæ apud ſe collegerat, publico in loco civium ſuorum uſui, Patriæque ornamento conſecravit. Poſt hoc ſex creati Magiſtri; in iis Euſtachius, cui data eſt Aſtronomiæ provincia. Quo factum eſt, ut relicto Collegio, quo ab ædibus Marſilianis conceſſerat, in domum *Inſtituti* ſe contulerit. Tali modo condito *Inſtituto* (id fuit anno duodecimo ſupra milleſimum ſeptingenteſimum) Euſtachius auctor fuit Marſilio, daret operam, ut *Inquietorum* Academia illi adjungeretur, quod facile a Senatu impetratum eſt. A quibus illa profecta ſit initiis, quoſque per gradus ad eam, in qua nunc eſt, altitudinem pervenerit, breviter explicabimus. Cum Euſtachius in pueritia, ut initio docuimus, nobilis inter æquales ferretur,

tur, omnesque incitaret studio suo, accidit, ut ex his multi ad eum venirent, quo in Philosophia exercerentur. Quod quisque vellet in medio penebatur, & in utramque partem disserebatur non ad copiam Rhetorum, sed ad Scholasticorum morem, tenuiter scilicet & jejune. Interim a quibusdam cogitatum est de dirigendis hujusmodi exercitationibus ad leges quasdam, dandaque huic conventui Academiæ forma. Itaque & leges conditæ, & Princeps creatus, cujus annuum esset imperium; assumptumque Insigne, quod erat terræ globus cum sole & inerrantibus stellis, atque anguis, qui caudam ore tenens ad significandam æternitatem, illa omnia complexu suo coercebat. His autem inscripserant: MENS AGITAT; quodque in hæc verba, atque in illud ipsum Insigne maxime convenire videbatur, *Inquietorum* nomen sibi sumpserunt. Mansit Academia apud Manfredium quatuor annis, ab anno scilicet MDCXC. ad annum MDCXCIV., mox ad Jacobum Sandrium doctum virum, & medicum clarum migravit, locum quærens opportuniorem commodioremque. Eo tempore Bononiæ studiorum

caus-

caussa commorabatur Joannes Baptista Morgagnius, de quo supra mentionem fecimus, singulari ingenio adolescens, multisque jam tum præstans artibus, ac disciplinis, facile ut appareret, omnia consequi posse, simul ac velle cæpisset. Hic, Manfredius, & Stancarius inierunt consilia (erant enim inter se & amicitia, & omni voluntate, studiisque conjuncti) de novis condendis legibus, abolendaque veteri disputandi ratione, & quod nimis jejuna esset, & quod iisdem de rebus semper quasi dictata decantaret, vel si aliquid novi quæreret, non solum non reperiret, sed etiam quæ ante fuerant detecta, prope iterum contegeret, sic ut disputantes nihil commutarentur animo, & iidem abirent, qui venerant. Sed cum viderent huic rei multos adversarios fore (nam sæpe ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatæ ratio ipsa cedat) illius conficiendæ tempus idoneum exspectandum putarunt: Hæc cum molirentur, Princeps Academiæ creatur Morgagnius. Cum nihil igitur opportunius potuisset accidere, leges describuntur, Academicorum animi pertentantur, laudantur prompti,

con-

confirmantur dubii, incitantur segniores, diffidentesque oppugnantur. Hoc facto, convocat concilium Morgagnius. Conveniunt frequentes Academici. Ad unum omnes probant illius sententiam, quam gravi splendidaque oratione explicavit. Sic trium virorum prudentia Academia Scholasticorum tyrannide liberata est, relictoque inani studio certandi, totam se convertit ad excolendas Mathematicas disciplinas, naturamque per experimenta investigandam. Quo factum est, ut brevi tempore illustraretur. Cumque eo jam processisset, ut cum celebrioribus Italiæ Academiis certare posset, & discessu Morgagnii, & morte Stancarii, aliisque de caussis tanta rerum commutatio facta est, ut vix ulla amplius esse Academia videretur. Sed percommode accidit, ut illa *Instituto* adjungeretur. Nam ex hoc tempore Academici exarsere ad gloriæ recuperandæ cupiditatem; hominesque ingeniosi industriique illud assecuti sunt, ut hæc *Instituti Scientiarum* Academia (hoc enim nomine nomen *Inquietorum* libuit commutare) florentissima multum omnibus fere Italicis gloria præstet. Porro lætissimus cunctæ Civita-

vitati fuit dies, quo *Inſtitutum* cum ſua Academia publice ſolemniterque Muſis inauguratum eſt. Is fuit III. Idus Martias anni MDCCXIV. Eodem die ceteros inter Manfredius ea ipſa differuit, quæ poſtea pluribus perſecutus eſt in ſuis *Ephemeridum* libris, de nova eclipſium prædicendorum ratione, poſuitque exemplum in eclipſi, quæ futura erat anno ſequenti VI. nonas Majas. Poſt hoc in eos, qui aliquem honoris gradum tenebant, quique huic ſolemni inaugurationi intererant, librum diſtribuit, quem ipſe confecit *de Schedis Mathematicis Stancarii*, quemque inſcripſit Senatoribus *Inſtituti* Præfectis. Optandum erat, ut quoniam huic ſingulari viro, qui in matura ætate ad ſummi Mathematici & Philoſophi laudem pervenerat, vita prius erepta eſt, quam ei licuerit mandare litteris ingenii ſui monumenta, aliquis curam ſuſciperet illa colligendi, edendique. In quo quidem libentiſſime elaboravit Euſtachius, tum ut publicæ utilitati, Patriæque gloriæ, cum ut immortalitati hominis cariſſimi conſuleret, cujus etiam vitam & mores in eodem illo libro deſcripſit. Anno poſt bina *Ephemeridum* volumi-

na in vulgus edidit, eaque summo Pontifici CLEMENTI XI. dicavit. Pergratum ac perjucundum sibi munus fuisse Pontifex humanissimis verbis Lancisio significavit, eique, ut justas debitasque gratias Manfredio ageret, negotium dedit. Plurimi enim ille liberalium artium studia, doctosque homines aestimabat. His vero libris nihil potest esse utilius Astronomiae studiosis: Nam Eustachius non sic fecit ut ceteri fere omnes hujus generis scriptores, qui divinandi levitate hujus facultatis terminarunt modum, cum nihil ille tam irrideret, quam praedictionem ex astris rerum humanarum, sed omnia complexus est, quae ad Astronomiam utcunque pertinerent, cujus principia, omnesque supputationum modos primo in libro exposuit. Hinc diligenter notati in iis reperiuntur Lunae transitus per meridianum circulum, ejusque declinationes; trajectiones Planetarum, horumque appulsus cum ad se invicem, tum ad Stellam quamcunque primariam, Lunae cum Planetis conjunctiones, eclipses Satellitum Jovis, aliaque plurima cognitione dignissima. Fatetur idem, tot calculorum confectionem infiniti fuisse laboris, quem tamen ei

ei aliqua ex parte levavit labor Sororum. Atque has rationes duxit ipſe e tabulis Aſtronomicis Joannis Dominici Caſſinii, quas longa obſervatione a ſe confectas, ac nunquam editas libentiſſime Euſtachii poſtulationi conceſſit. Hæc volumina, quæ annos decem continent, ſecuta ſunt alia duo, quæ ab anno MDCCXXV. ad annum uſque MDCCL. *Ephemerides* perducunt. In his conficiendis præter Sorores, alios quoque ſocios laboris ſibi ſumpſit Euſtachius, cum expertus fuerit, plus ſe oneris ſuſtuliſſe, quam pars virilis ferre poſſet, præſertim occupata opera, impeditoque animo. Secutus eſt eaſdem tabulas Caſſinianas, correctione tamen quadam adhibita, in Jove præſertim, ac Saturno, ac partim etiam in Mercurio poſt obſervationes a doctiſſimis viris Maraldio, & Caſſinio juniore habitas, ac ſecum pro ea, quæ ſibi cum iis intercedebat, familiaritate communicatas. Conſtat inter omnes, nihil ab aliis, nec Regiomontano, nec Magino, neque Keplero exceptis, fuiſſe perfectum, quod hi libri longe multumque non ſuperent, qui ſunt editi, ne ſcientia tantarum rerum iis, qui in Aſtronomia verſan-

 tur,

tur, deesset; earumque utilitas manaret quoque ad Chronologiam, Geographiam, artemque Nauticam. Neque prætereundum est, eos qui sunt apud Sinenses verbi Dei præcones, his ipsis libris uti, ex quibus existimari de ingenio Europæorum debeat, quos præ se illi populi pene rudes atque agrestes putant. In Arcadica quoque *Ephemeride* condenda, jubente cœtu Pastorum, in quem jam ab anno MDCXCIIX. nomine Acidis Delpusiani cooptatus fuerat, multos annos ante elaboravit Manfredius, in quo tamen primæ partes fuerunt magni nominis astronomi Francisci Blanchinii. Interim Bononienses illum Romam miserunt caussa controversiæ, quam ii cum Ferrariensibus, sicut supra significavimus, habebant de Rheni aquis. Quotquot erant in Urbe doctrinæ ac litterarum laude præstantes homines, eos potuit facile sibi conjungere, quod celebre ejus nomen erat; quodque brevi summa in ejusdem consuetudine & familiaritate suavitas cognita est. Sed præsertim conjunctissime, jucundissimeque vivebat cum Justo Fontaninio, Nicolao Fortiguerra, Joanne Maria Lancisio, Francisco Blanchinio, Cælestino

ſtino Gallianio, Proſpero Lambertinio, Philippo Montio, Joanne Baptiſta Zappio, & Mario Creſcimbenio, quorum omnium pervulgata ſunt nomina. Hoc quoque ad animi ſui delectationem, fructumque ducebat eſſe permagnum, diligenter obſervare vetuſtatis ædificia, eorumque reliquias; atque inviſere locos, in quibus memoria dignos viros acceperimus eſſe verſatos. Quanquam id fere infinitum eſt in hac Urbe. Quacunque enim ingredimur, in aliquam hiſtoriam veſtigium ponimus. Paucis tum menſibus Romæ fuit Euſtachius. Eodem vero ineunte anno MDCCXVII. remigrare juſſus, biennio fere commoratus eſt. Hoc tempore lepidam illam de vidua Epheſina ex Petronio fabellam in Arcadum cœtu dixit, quam tanta elegantia condivit, ut Bocaccium ſcripſiſſe non puderet. Legi hæc poteſt in ſecundo volumine earum rerum, quæ ſunt ab illuſtribus Arcadibus ſoluta oratione ſcriptæ, ut & in libro carminum Italorum Manfredii, qui Bononiæ eſt editus an. MDCCLX. Cum in Patriam rediiſſet, rediit quoque ad ſua ſtudia Aſtronomica, a quibus divelli iniquo ferebat animo. Frequens etiam

tiam erat in Academia *Instituti*, de cujus gloria amplificanda dies ac noctes cogitabat. Relatum legimus in ejus commentariis, illum anno MDCCXIX. ad diem XVI. Kalen. Decembris exposuisse varia Geographicarum tabularum mendа a se multis, eisque consentientibus observationibus comperta, atque correcta. Hac quoque in re alii Academici se exercuerunt, eam secuti rationem investigandarum longitudinum locorum, quam ille in Academia primum, mox in Ephemeridibus explicavit. Quorum exemplum utinam alii imitarentur, quo fieret ut tabulæ Geographicæ a vitiis plurimum abessent, quoniam iis carere omnino non possunt. Idem triennio post de dimensione a se facta Gnomonis Petroniani (6) multis disseruit, eaque de re postea commentariolum confecit. Dudum enim suspicabatur, vel potius intelligebat, aliquid detrimenti ex diuturnitate temporis illum accepisse. Itaque omnia summo studio ac diligentia scrutatus ac demensus, varietates, mutationesque cognovit, eisque sua adhibuit remedia. Eo qui secutus est autumno, qui fuit annus MDCCXXIII. id accidit, quod

quod erat maxime Astronomis optatum, conjunctio nempe Mercurii cum Sole. Nam cum hujus eventus habuissent illi hoc sæculo exspectationes duas, unam anno MDCCVII., alteram anno MDCCXX., hæ deceptæ fuerant. Res nova omnium studium, diligentiamque commovit, in quo in primis eluxisse ingenium industriamque Manfredii, scriptum a se anno sequenti editum declarat. Atque hæc prima fuit observatio, quam vix dum ejus ædificio absoluto, habuit in specula *Instituti*. Huic successit illa (omitto minores; longum enim esset singula persequi, & non necessaria) de Jovis ac Martis conjunctione heliocentrica, in qua non mediocrem operam curamque consumpsit, non solum ut Astronomiæ indulgeret, sed etiam ut de Physicis benemereretur. Nam cum apud hos multæ res nequaquam satis adhuc explicatæ sint, tum perdifficilis & perobscura quæstio est illa de Planetarum, ut eorum verbo utar, attractione, quæ & ad cognitionem pulcherrima est, & ad plurima in natura explicanda phenomena expeditissima, ac pene necessaria. Nam qui Planetis hanc vim tribuunt, eandem,

dem, hypothesim sibi quandam componentes, tribuere solent rebus omnibus. Manfredius igitur certi ne aliquid hac de re haberi posset quæsivit in Marte. Sed id habuit exitum omnino contrarium exspectationi suæ; doluitque, nihil a se proferri potuisse, quod ad confirmandam illam Newtonianorum hypothesim valeret (7). Nam licet nulli disciplinæ addictus esset, unum tamen præter ceteros admirabatur, maximeque diligebat Newtonum, ut pote quem in primis arbitrabatur vidisse verum, maximisque erroribus hominum animos liberavisse. Ille autem, hanc omnem quæstionem explicavit epistola ad Jacobum Ricatum, in qua non modo quid a se, sed etiam quid a singulis observatum esset, persecutus est; idque sic præstitit, quasi suspicionem movere, non tanquam adversarium aliquem convincere vellet. Nihil optabilius ad immortalitatem nominis potuit Manfredio accidere, quam quod accidit anno MDCCXXVI, ut cooptaretur in Parisiensem *Scientiarum* Academiam. Nam cum hic honos per se sit gloriosus, cum nonnisi merito tribuatur, hoc etiam sit gloriosior in nostris hominibus, ceterisque

alie-

alienigenis, quo rarior. Cautum est enim legibus, ne pluribus quam octo ex his aditus in eandem pateat. Quo autem gratus pro tanto beneficio in Academiam cognosceretur Manfredius, misit ei bina commentariola, quorum unum, quod est de ratione deprehendendi Telluris figuram ab Lunæ parallaxi (8), initium facit voluminis Actorum anni MDCCXXXIV., alterius, quod est de ratione definiendi solstitia per inerrantes Stellas, fit mentio in commentariis rerum anni MDCCXXXVIII. Haud multo post Londinensis quoque Academia, ne Parisiensi in honorando tanto viro esset inferior, illum suum facere voluit. Quibus rebus cum satis famæ suæ consultum esse jure ille existimare posset, non propterea tamen aliquid remisit de labore assiduo & quotidiano, quem in studiis doctrinæ solitus erat impendere. Quod cum ex aliis rebus, tum ex eo præsertim libro habemus cognitum, quem *de Stellarum aberrationibus* (9) composuit, ac Cardinali de Via sane meritissimo dicatum, anno MDCCXXIX. in lucem emisit. Difficile est cognitu utrum Stellæ habeant cursus quosdam, abberrationesque annuas; tale tamen

men eſt, ut bene ac ſapienter rei litterariæ conſulant ii, qui in eo inveſtigando elaborant. Nihil eſt enim omnium, quæ in Aſtronomia tractantur, quod majoris momenti a Copernicanis exiſtimetur, ut pote ad ſolemne illud ſuadendum dogma de Terræ circa ſolem motu accomodatiſſimum. Manfredius poſtquam omnia ſcrutatus eſſet, comodiſſimam viam ingreſſus eſt, ut eo, quo intenderat, perveniret. Nam omnem curam in illud contulit, ut has Stellarum aberrationes, harumque leges ex meridianis temporibus, ſi qua ratione poſſet, aſſequeretur. Quod quidem ei proſpere ſucceſſit, poſt multas, infinitaque diligentia habitas obſervationes in Arcturo, Syrio, Lyra, Capella, Tauri Oculo, aliiſque primariis Stellis. Per idem tempus vir in primis doctus Jacobus Bradleyus multum operæ ac ſtudii ponebat, ut has ipſas aberrationes ex altitudinibus meridianis deprehenderet; ejuſque obſervationes cum haud multo poſt editum a Manfredio libellum, in Italia prodiiſſent, huic ſumma laus tributa eſt, quod in notatione intervallorum, converſionumque cum tanto viro conſenſerit. Non æque

que tamen inter eosdem convenit de eo quod pertinet ad Copernicanorum hypothesim. Manfredius enim in hac erat sententia, ut putaret aberrationes illas cum annua horum philosophorum parallaxi, cujus leges eo in libello explanavit, nihil commune habere. Nam neque lucem tempore propagari affirmare ipse audebat; neque si id affirmaret, illud statim videbat consequi, ut Stellæ, si Terra quidem circa Solem vertatur, non ibi ubi sunt, appareant, sed paullo ultra. Quorum primum neque Cassinius, e cujus observatione illa de lucis cursu opinio manavit, affirmare voluit, neque Gravesandus, cum maxime vellet, potuit. Bradleyus e contrario sibi persuadebat, notata a se optime ad ea, quæ docent Copernicani, accomodari, si hæc duo adjungantur, primum velocitatem lucis eam esse, ad quam velocitas convertentis se circa Solem Terræ non insensibilem habeat proportionem: deinde Stellas non ibi, ubi sunt, sed paullo ultra apparere, si oculus, cui apparent, ea velocitate moveatur, quæ ad velocitatem lucis proportionem habeat sensibilem. Sic quod erat in hac re tota certissimum, id ha-

habuit Manfredius cum Bredleyo commune, hypothesis fuit Bradley propria. Ille autem summam confecit cogitationum omnium suarum, rerumque a se, a Bradleyo, atque etiam ab Horrebovio insigni Astronomo Dano observatarum, & dilucide eleganterque epistola Latina ad Antonium Leprottum amicissimum suum explicavit. Interim Pontifex creatur Clemens xii., qui cum magna animo volveret ad Reipublicæ utilitatem, statim vidit quanto sibi usui futura esset Manfredii opera. Primum & maximum mandatum fuit contorquendi in alium cursum Bedesim & Vitim, de quo supra commemoratum est. Immensum sane opus, quod octo pene annorum spatio duravit; quodque incredibiles labores, ac molestias eidem attulit [10]: Idem Pontifex cum constituisset Tiberim navigabilem præbere Perusia usque ad Naris fauces, & Anienem a Ponte Lucano Romam usque, huic operi Manfredium præfecit, eique socium Joannem Bottarium dedit. Sed hi, re explorata, eam esse magnitudinem difficultatemque Pontifici retulerunt, ut a suscepto consilio discesserit. Post hoc jussus est dare operam emen.

datio-

dationi Kalendarii Gregoriani (11), quod ſæpe tentatum, nunquam tamen perfectum eſt. Profecto Manfredius, quantum in ſe fuit, ſuſcepto muneri ſatisfecit, neque modo ſuam protulit, ſed requiſivit etiam celebriorum totius Europæ Aſtronomorum ſententiam, ſcripto iis miſſo (12) quod illi placuit nominare: *Quæſtiones de recta Paſchæ indictione*. Secutum eſt illud mandatum de tuendo Pontificis jure in ea, quæ huic cum Venetis erat, controverſia de Imperii finibus. Itaque hac de re librum edidit anno MDCCXXXV, quem inſcripſit = *Compendioſa informazione di fatto ſopra i confini della Comunità Ferrareſe d'Ariano collo Stato Veneto* = Hunc qui leget, ſtatim intelliget quam magni fuerit laboris tot colligere monumenta, quibus comprobaret, qui conſtituendi eſſent termini, ubi nulli jamdiu extabant, quique modus definiendus eſſet juribus Venetorum. Inter hæc ſi quid in cælo apparebat obſervatione dignum, præſto erat Manfredius, notabatque omnia ſuo more diligentiſſime. Elucubravit quoque opus *de Gnomone Meridiano Bononienſi*, in quo ſic omnia de ejus conſtructione, uſu, atque utilitatibus, deque

que rebus a se & ab aliis observatis, complexus est, ut nihil horum in eo clarissime non appareat. Tali modo Eustachius gratus judicari voluit erga illud Instrumentum, cui quidquid profecerat in Astronomia, referebat acceptum. Et ut officio benevolentissimi erga mortuum fungeretur, curam suscepit disponendi, edendique opus illud Francisci Blanchinii, cui nomen est: *Astronomicæ, ac Geographicæ observationes selectæ*. Quod si sculptor præcipua laude fertur, qui comminutam statuam, collectis undique fragmentis, ad vitam revocat, cur non singularis ejus existimetur industria, qui ex chartæ plagulis, in quibus omnia erant inordinata & confusa, multa imperfecta, ac vix adumbrata, librum omni ex parte absolutum utilissimumque confecit? Qua ex cura ut se liberavit, animum convertit ad illustrandum aureum Guglielminii opus *de Natura Fluminum*. Habet hoc partes duas, unam de alveis, quæ propria est Guglielminii, cum genus hoc princeps attigerit, & in multis tenebris clarissimum lumen prætulerit, alteram de aquis fluentibus, quæ ei communis est cum aliis, quanquam hanc ille eo

pro-

provexit, quo nunquam antea pervenerat. Ad hanc postremam convertit se potissimum Eustachius, quia non tam accurate fundatam & extructam esse videbat, quam erat altera; multaque adeo protulit, suisque locis dispofuit, quæ usu jam tractata, & animo notata habebat, ut difficile sit intellectu, horum utri plus debeat utilissima hæc aquarum fluentium scientia (13). Opus ad umbilicum perduxit Eustachius, non tamen, morte obita, vulgatum videre potuit. Quam fortunam subiit quoque volumen, quod fecit *de Elementis rationis temporum* rogatu Francisci Algarotti docti adolescentis, quem non secus ac filium diligebat. In hoc Petavium secutus est non ut interpres aliquis, sed quæ sumpsit ab eo, alia dilatavit, contraxit alia, eisque suum judicium, suumque scribendi ordinem adjunxit. His postremis temporibus alia quoque suscepit utilia studiosis. Contulit enim se ad eam curam, ut perficeret, quæ olim ad usum nobilissimi adolescentis Cajetani Boncompagnii scripserat, *Elementa Geometriæ*. In quibus cum illa prætermisisset, quæ solida attingunt, ad hæc potissimum convertit animum.

Hæc

Hæc eadem tamen nonnisi inchoata reliquit: quapropter ejus frater Heraclitus in hoc sibi elaborandum putavit, ut illa absolveret. Quod sic præstitit, ut non satis utilitati studiosorum consuluerit, cui quidem consuluisset, si magis clare res per se obscuras tractasset. Eodem etiam tempore instituit Eustachius meliorem in ordinem redigere, & pleniora efficere, quæ discipulis suis consueverat tradere præcepta Astronomiæ. Sed hæc quoque rudia reliquit. Quas igitur habemus *Institutiones Astronomicas*, tales sunt, quales ille initio composuit, in quibus tamen nulla pars, quæ ad cælestia pertinet, prætermissa est, nec modo quid sibi probaretur, sed etiam quid a singulis philosophiæ disciplinis, & alicujus nominis Astronomis diceretur, persecutus est; sicque omnia tradidit de ratione ineundarum observationum, ac calculorum, ut quid ille ultra præstare potuerit, non videam: Neque silentio prætereunda est historia, quam confecit, controversiæ de Telluris figura, rerumque a Gallis recens animadversarum (14). Legitur hæc in quarto volumine *Delle Osservazioni Letterarie* Scipionis Maffæii, cui flagitanti il-
lam

lam conceſſit, ea tamen lege, ne nomen Auctoris proderet. Id cauſſæ fuiſſe creditur, quia in eo hærebat, quod extrema parte ſine ulla tamen affirmatione poſuit, varietas ne graduum, quos Caſſinius, & Maupertuiſius dimenſi fuerant, alter in meridiana linea, quæ Pariſios ſecat, alter in Laponia ultra polarem circulum, ex qua varietate conſtitui poſſe videbatur terram compreſſam eſſe, referri ad illud deberet, quod varie & inæqualiter curvati eſſent meridiani terreſtres? Non dubito fore pleroſque, quibus incredibile videri debeat, potuiſſe Manfredium novem poſtremis, quibus vixit annis ad tam multa incumbere tamque multa ſcribere, præſertim cum relatum legent, hoc tempore infirma ſemper, ac ſæpe etiam ægra illum valetudine fuiſſe. Cæpit enim ex renibus laborare, mox in difficultatem urinæ delapſus eſt, demum lapis in veſica concrevit, qui plerunque ſecundo quoque menſe tetros ei cruciatus ciebat. Sed hi vix dum remiſerant, cum ille aut novum quoddam ſuſcipiebat, aut interrupta contexebat, aut abſolvebat inſtituta; idque tanto animi ardore præſtabat, ut quo

 tem-

tempore otiosam ætatem & quietam sine ullo labore ac contentione traducere debuisset, non solum oblectamentum, sed etiam medicinam petere ab industria videretur. In hoc cum esset statu, non dubitavit Ravennam venire caussa mandati, de quo supra commemoratum est; cumque pedibus parum valeret, nec vehi in rheda sine maximo incommodo posset, sella deferebatur ad loca, quæ invisenda erant, atque ita de ea, quæ videbantur, dicebat. Ut lapidem se in vesica habere sensit, illum extrahi optasset, sed cum Medici, & in his Heraclitus frater obstitissent, illorum paruit consiliis. Fecit tamen invitus. Nam videbat, sine spe salutis quod reliquum vitæ foret, sibi miserrime degendum esse. Neque id eum fefellit. Nam dolores non solum multo crebriores facti sunt, sed etiam in dies graviores; eoque demum pervenerunt, ut ei e vita exeundi necessitatem attulerint. Non est credibile, quanta animi fortitudine hanc calamitatem pertulerit, quantaque constantia mortis aspectum sustinuerit, ut non ex vita, sed ex domo in domum videretur migrare. Id erit indicio, quod

duo-

duobus diebus antequam moreretur, cum meminisset habere se aliqua, quæ rescriberet Cardinali Alberonio Æmiliæ Legato de fluminibus Ravennatium, Theresiam Sororum natu minorem accersivit, eique epistolam dictare cæpit. Non potuit tamen ad exitum perducere, cum a mente, tanquam si offusa ei caligo esset, desereretur. Quoniam iterum in mentionem Sororum incidimus, non est prætereundum, illas magno non solum Eustachio levamini in ægritudine, sed adjumento quoque fuisse in omnibus iis rebus, quas scripsit his postremis annis. Profecto adeo de se bene meritis gratum semper se præbuit, & extremæ quoque voces habuerunt declarationem singularis amoris sui erga illas. Mortuus est Eustachius, omnibus, quæ ad Religionem pertinent, rite sanctèque persolutis (nam non minus pium quam fortem se præbuit, nisi malumus in homine Christiano tantam fortitudinem constantiamque pietatem quoque dicere) xv. Kal. Martias, die Dominico, hora xvii. anno mdccxxxix. Suo ille discessu reliquit suos omnes mœroris ac luctus plenissimos, & universam quoque Civitatem

dolore magno affectam. Sed præsertim doluit Academia, quæ cum fuisset quasi theatrum illius ingenii, se ejusdem honore ac gloria ornatam, atque amplificatam putabat. Jamdiu tamen ejus voce erudita, & Sapientiæ auribus digna carebat. Nam post sermonem, quem de aucta maris altitudine habuit anno MDCCXXXI, nihil amplius in illa pronuntiavit; & siquid aliud postea elaboravit, Eustachio Zanotto, qui sibi publice in munere Astronomi *Instituti Scientiarum* adjutor datus fuerat, recitandum commisit. Cadaver delatum est ad S. Mariæ Magdalenæ, comitantibus Senatoribus *Instituti* Præfectis, publicis in eodem *Instituto* Magistris, omnique studiosa juventute, nec non magna vulgi frequentia. Haud mediocre quoque funeri decus fuit, quod Cardinalis Prosper Lambertinius tum Archiepiscopus Bononiensis, qui eximie semper Eustachium dilexit pro sua singulari voluntate in viros præstantes virtutis, & doctrinæ gloria, in idem Templum se contulit ad sacrum pro illo faciendum. Nec non carminibus, solutaque oratione ejusdem memoria celebrata. Debebantur profecto hi honores

nores divinis prope meritis Euſtachii ; & hoc magni intererat ad decus & laudem illius Civitatis, quæ ſemper eſt habita doctrinæ parens & altrix . Eodem in loco humatus eſt, atque hæc in ſepulchro inciſa inſcriptio :

EUSTACHIO MANFREDIO BONONIEN. J. V. D.
IN COLLEG. PHILOSOPHOR. OB MERIT. ADSCITO
MATHEMATICAR. PROF. PUB.
INST. SCIENTIARUM ASTRONOMO
REI AQUARIAE PERTRACTAN. PRAEF.
REG. PARISIEN. ACADEM. ITEMQ. LONDIN. SOCIO
VIRO SUAVISSIMIS MORIB.
GABRIEL ET HERACLITUS
FRATRI OPTIME MER. P. P.
VIX. AN. LXIV. M. IIII. D. XXV.
OBIIT XV. KAL. MART. MDCCXXXIX.

Statura fuit mediocri , habitu ad pinguedinem vergente , capite magno , rubro colore , vultu decoro & hilari , acribus oculis , oblongo & incurvo naſo , quam vel in primis certam ingenii notam Metopoſcopi exiſtimant . Profecto Euſtachius ea erat ſpecie , in qua præſtans in-

genium apparebat ; cumque non minus eluceret in ea ſumma comitas , fiebat , ut ipſo aſpectu conciliaret ſibi obſervantiam benevolentiamque hominum . Comitati vultus reſpondebat affabilitas ſermonis , ac demum iis erat moribus , ut nemo illo commodior , nemo jucundior , ac moderatior fuerit ad omnem rationem humanitatis . Itaque cum multi alienigenarum ad eum ſæpe venirent , moti præclara fama , quæ de illo erat , nemo diſcedebat , qui ſe mire ipſius officiis devinctum non confiteretur . Ad omnia ea quæ more aguntur , & civilis vitæ inſtitutis , licet pleraque ſibi moleſta eſſent , & incommoda vitæ ſolitus eſſet appellare , attentum animum ſemper habuit , eaque religioſe ſervavit . Ut erat quietis & tranquillitatis amantiſſimus , ab omni contentione , concertationeque maxime alienus fuit ; & ſi quem offendiſſet , qui ſuo delectaretur errore , non contra pugnare , ſed libenti animo cedere ſolebat . Licet perquam moleſtos experiretur , ita patienter tamen ferebat , ut probare videretur , homines illos , qui in colloquiis , tanquam in poſſeſſionem ſuam venerint , excludunt

dunt alios, non intelligentes, cum in reliquis rebus, tum in sermone vicissitudine utendum esse. Nihil unquam neque insolens neque gloriosum ex ore ejus exiit; tantumque aberat, ut ipse sua extolleret, ut potius ea semper verbis extenuaret. E contrario nunquam committebat, ut non liberalis videri posset in tribuenda merita hominibus laude. Cum suis ita vixit, ut nulla querimonia intercesserit, & amor ad extremam usque ætatem creverit. Neminem unquam læsit, ac nulli amicorum opera, consilio, ac labore defuit. Siquid acceperat, majori mensura reddere curabat, imitans, ut jubet Cicero, agros fertiles, qui multo plus afferunt, quam acceperunt. Nihil magis optabat quam ad hominum utilitatem intelligentiam suam conferre, quo factum est, ut non solum vivus ac præsens studiosos discendi libentissime humanissimeque erudierit, sed hoc etiam post mortem monumentis litterarum assequi studuerit. Inter multos, quos habuit auditores, tulit præsertim in oculis Franciscum Mariam Zanottum, hujusque fratris filium Eustachium, & Franciscum Algarottum.

Quam in se tanta animi constantia tulit adversam fortunam, sic in aliis dolebat, ut nihil supra. Hoc quoque erit ejus humanitatis testimonium, quod cum cooptatus esset in cœtum illorum, qui extremis vitæ horis morte damnatis adsunt, quoties Christiano hoc officio fungi debebat, adeo commovebatur, ut illud deserere coactus fuerit. Simplex & apertus veritatem unice semper coluit. Toto vitæ cursu religionem, pietatem, sanctitatem pure & caste Deo tribuit. Summa quoque in Patriam caritas eluxit in illo, eamque semper propriæ utilitati antetulit. Nam invitatus, ingenti proposita mercede, a Lucensibus primum, mox a Cæsare, ut munus apud illos Aquarum Præfecti, apud hunc Mathematici sustineret, honore contentus illud suscipere recusavit. Nemo illo in contrahendo religiosior; & si cuipiam debebat, & dubium esset quantum, quod nimium potius, quam id quod parum videbatur, exsolvere plane volebat. Convivia in adolescentia præsertim plurimum amavit, horumque delectationes non tam gustus voluptate, quam cœtu amicorum, sermonibusque metiebatur; cumque ad ejus rem fami-

familiarem non mediocris facta esset accessio, neque illi deesset, unde largiorem sumptum facere posset, sæpe ad prandium eos vocabat, quorum mores a suis non abhorrerent. Tum præsertim apparebat, quanta esset in homine jucunditas, quantumque excelleret in genere illo jocandi eleganti, urbano, ingenioso, ac libero digno, quo etiam plurimas ejus familiares epistolas refertas vidimus. Dici satis non potest, quam acute atque celeriter videret, quid in re quaque verissimum esset, quamque teretes religiosasque aures habuerit. Quo factum est, ut plurimi rerum suarum censorem illum habere voluerint. Narrat Scipio Maffæjus, admiratum se fuisse semper tantam intelligentiæ magnitudinem, sed maxime in eo quod pertinet ad Tragædiam, eaque propter sæpe ad illam scribendam eundem invitasse. Nihil tamen Eustachius in hoc genere reliquit, nisi huc referre velimus sane dulcissimum melodramma, cui nomen est Daphnis, quod sibi adolescenti, & invito excidit. De styli autem ejus elegantia quid dicam? Sive carmina exaravit, sive litteras scripsit, sive se exercuit in dicendi genere

nere æquabili & temperato, ſive oratorium tractavit (tractavit autem non ſemel magna non ſolum elegantis, ſed etiam pleni ac perfecti Oratoris commendatione, ut indicat oratio, quæ eſt in manibus, de S. Petronii laudibus) ſic apta & decora, pura ac plane Etruſca ejus dictio fuit, ut non multos habeamus hujus noſtræ ætatis ſcriptores, quos cum illo conferre poſſimus. Hæc quidem laus comprobata eſt Joannis Bottarii præſtantiſſimi dicendi exiſtimatoris judicio, cum mihi ſermo cum illo ipſo, multis audientibus, de Manfredio eſſet inſtitutus. Hinc factum eſt, ut jam ab adoleſcentia referretur inter eos, qui celeberrimam toto orbe Academiam, quam vulgo vocant *della Cruſca*, magno Italicarum litterarum bono conſtituunt. In iis vero quæ Latine ſcripſit, non æque tulit omne punctum, quod homini plurimis iiſque reconditis litteris præſtanti culpæ minime tribuendum eſt, cum etiam in re una excellere permagnum ſit.

Com-

Commentariolum hoc de vita Eustachii Manfredii, priusquam ederetur, ceteros inter vidit vir doctrina clarus, mihique amicissimus Franciscus Jacquierius ex Minimorum familia. Is adnotavit nonnulla, quibus hic locum dandum duximus, ne magno liber ornamento careat.

(1) Astrologiæ nomine intelligenda non est superstitiosa & vanissima divinatio illa, quæ morales eventus ex corporum cælestium influxu conjectari præsumit. Nullus unquam extitit vir bene doctus, qui seriam talibus commentis operam dederit; aut si quis unquam fuerit male comparata doctrinæ fama celebris qui his pastus chymeris referatur, id crassiori temporum vel regionum ignorantiæ tribuendum. Itaque cum Manfredius noster Geometriam, nonnullasque alias Matheseos partes, vi sola ingenii, nulla Magistrorum opera celerrime jam arripuisset, nullam de hujus studii vanitate dubitationem in juvenili quidem, sed matura jam & cultiori mente dubitationem suspicari licet. Ac alia est Astrologiæ species, quæ in effectibus naturalibus, tempestatumque vicissitudinibus ex vario planetarum aspectu investigandis atque prædicendis versatur. Hujus Astrologiæ certitudinem tentare, & ex principiis cognoscere voluit Manfredius, summos viros Keplerum, Boylium, aliosque complures imitatus. Quamvis autem tales conjecturas velut inanissimas traducere atque aspernari non dubitent quamplurimi, non desunt tamen etiam num studiosissimi naturæ indagatores, qui ademptum planetis imperium in aliquos naturales effectus restituendum arbitrantur. Hæc pro defensione dicta sint. Ego ipse audivi a Gabriele Manfredio, demandatam sibi & Eustachio fratrum pari nobilissimo provinciam publica quotannis evulgandi Diaria, in quibus cæli temperies, mutationesque consignari solent. Has quo-

quoque prædictiones omnino prætermittendas non esse ipsi censuerunt, non quidem ut fidem facerent, sed ut credulo popello, qui his rebus delectatur, morem gererent.

(2) Cycloidis proprietates ad horologiorum usum traducere conatus est vir clar. Huighenius, & penduli vibrationes intra binos cycloidis arcus retinendas esse decreverat. Summo Geometrarum omnium plausu excepta primum fuit hæc horologiorum structura, & tali instrumento, quod valde mirabantur omnes, Astronomicam suppellectilem suam instruxit Eustachius. Verum, ut erat in observando sagacissimus atque diligentissimus, decantatæ hujus machinæ vitia brevi expertus est, atque observationum Astronomicarum fide comprobavit. Hac de caussa relicto recentiore invento, ad antiquam horologiorum formam reversus est. Et re quidem ipsa, ex sola gravitatis constantis actione pendebat horologii Huigheniani artificium: quia vero in horologiorum usu admixtæ sunt vires aliæ motrices plurimæ, nullam esse hac in re cycloidis utilitatem, immo incommoda esse plurima serius deinde demonstrarunt Geometræ.

(3) Neque Eustachii gloriæ & famæ aliquid inde detrahi potest, quod videamus successu aliquando caruisse ejus consilia. Sæpe etenim contigit, ut judex appellatus fuerit Manfredius, contraria autem aliorum judicia, nescio quibus de causis, prævaluerint. Ceterum in ferendo judicio quantum cautus fuerit vir æque doctus ac prudens, hinc licet cognoscere, quod de restituendo Antiano portu in consilium adhibitus, nihil proferre ausus fuerit, sese accusans locorum, ventorum, & maris non satis expertum, præclarum relinquens modestiæ exemplum viris audacioribus, qui propriam vel ignorantes vel dissimulantes imperitiam, in difficillimis rebus publicam pecuniam, non sine magno periculo, profundere non dubitant. Amoris erga Patriam non minus quam prudentiæ testimonium dedit Manfredius in eo congressu, qui Faventiæ habitus est, ubi Corra-

dum

dum ità valide impugnavit, ut propositum de aquis per novum alveum superiorem deducendis consilium everterit omnino. Non tanti tamen ponderis reputari debent Eustachii rationes, ut alium quemlibet alveum superiorem excludendum esse persuadeant, his præsertim temporibus, quibus & magna suppetit observationum Hydraulicarum copia, & diligentior locorum peritia.

(4) Nec sine magna in rebus Physicis utilitate hanc subtilissimam observationem e manibus dimisit Manfredius: nondum enim omnino veterem opinionem deleverat dies, Cometas scilicet ad corporum sublunarium classem esse rejiciendos. Philosophicum hoc commentum sustulit Eustachius, nullam aut fere nullam in Cometa parallaxim ostendens. Multi quidem Cometæ insignem habuere parallaxim, ipsam solis parallaxim longe excedentes. Inita computatione, demonstravit Hallejus Cometam qui anno 1680 visus est, Borealem terrestris orbitæ partem prætergressum esse ad distantiam semidiametrorum terrestrium sexaginta, ita ut illius parallaxis haud minor fuisset parallaxi lunari, si tellurem in hac eadem orbitæ parte locatam fingere liceret. Sed hæc & alia, quæ objici solebant, sua observatione facile diluebat Eustachius.

(5) Susceptam defensionem tueri & confirmare potuisset Manfredius, depromptis ex ipso sermone Gallico simillimis exemplis. Neque enim translata hæc dicendi forma a Gallici idiomatis simplicitate aliena est; multasque id genus exquisitas dictiones legere est non solum apud Poetas, sed elegantiores quoque Oratores.

(6) Eustachio multum sane debet Astronomia, quod Astronomicum illud instrumentum non sine magno labore, parique diligentia ad examen revocaverit. Haud temere affirmari potest nullibi gentium extare Gnomonem, qui & longiori & accuratiori observationum serie magis commendari debeat. Ego ipse audivi a Manfredio se in Gnomone Bononiensi majorem quam in Romano observationum subtilitatem, facta compara-

ratio-

ratione, inveniſſe, quamvis tamen huic poſteriori, Romano nempe, meritam quoque concederet laudem.

(7) Neque Manfredio minus glorioſum cenſeri debet, quod ex illa Jovis & Martis conjunctione heliocentrica nihil extundere potuerit, quod Nevvtonianam de mutua planetarum attractione hypotheſim confirmaret. Longiorem enim obſervationum ſeriem poſtulabat ſubtiliſsima hæc concluſio, quam, quidem jam oſtendunt Jovis præſertim & Saturni conjunctiones, atque magno obſervationum numero magis ac magis, ut ſperare fas eſt, comprobandam. Ceterum maxime laudari debet Euſtachii in rebus philoſophicis difficile & acutum judicium, quo factum eſt ut in ſententiam, quæ ſibi videbatur adhuc immatura, magnorum virorum auctoritate ſeſe abduci paſſus non fuerit.

(8) Ingenioſe quidem excogitata eſt hæc methodus: Cum enim pro ſphærica vel ſphæroidica telluris figura diverſæ parallaxes obſervari debeant, ex ipſa parallaxium differentia inveſtigari poteſt telluris figura. At cum parallaxium differentia pro diverſa telluris ſphæricæ aut ſphæroidicæ hypotheſi exigua omnino ſit, ita ut ſi aliquot ſcrupulis duntaxat in obſervando peccatum ſit, nihil ex obſervatione pro determinanda telluris figura erui poſsit, maximam induſtriam atque obſervationum ſubtilitatem requirit propoſita methodus, quam tamen elegantiſsimam eſſe, & doctrina aſtronomica refertam nemo negaverit, atque eo magis commendatione dignam, quod eo evulgata ſit tempore, quo pauciores de hoc argumento diſſertationes jam habebantur.

(9) De Stellarum aberrationibus & parallaxi, mole quidem exiguum opuſculum, ſed magna rerum aſtronomicarum & geometricarum copia plenum conſcripſit Manfredius. Viri Geometræ ſummam qua auctor pollebat in ſolvendis conſtruendiſque problematis elegantiam, & quæ in hoc libello maxime eminet, magnopere commendant.

(10) In hac hydraulica expeditione quantas paſ-

ſus

ſus ſit moleſtias, quam multa Euſtachius ſuſtinuerit incommoda, ego conſcius ſum. Quæ de fluminibus divertendis idem præſcripſerat executioni adamuſsim mandata non fuerunt omnia, & hac de re cum Euſtachio ipſo ſermonem ego habui. Quare ſi quid vitii habere poſsit hæc operatio, id Maufredio noſtro tribuendum non eſt.

(11) Neque glorioſi, ſed grati animi loco haberi debet quod mihi cum Manfredio, data Kalendarii occaſione, contigiſſe referam. Romam acceſſerat vir quidam natione Gallus, qui novam longeque accuratiorem Kalendarii formam ſe habere prædicabat, jamque apud multos Urbis Magnates aliquam ſibi arripuerat doctrinæ famam. Propoſitæ correctionis examinandæ demandato mihi onere, quod quidem detrectare optabam cum pro mea juvenili adhuc ætate, tum pro meo ab altercationibus litterariis alieniſsimo animo, haud difficile mihi fuit Auctoris inſcitiam, moderatis tamen, ut decebat, verbis demonſtrare. Sed prævaluit ſumma Reformatoris confidentia, donec Romam accerſitus Manfredius ob graviora aquarum negotia, in hac quoque levioris momenti lite judex vocatus, quæ brevius dixeram prolixiori ſcripto conſirmaret, & honorificam de meis ſtudiis opinionem, pro ſua humanitate, relinqueret.

(12) Ad manus meas peruenit commercium epiſtolicum, quod Manfredius & Blanchinius cum celeberrimis Aſtronomis habuere. Quamvis autem reformationis negotium ſucceſſu caruerit, neque fortaſſe ulla, quæ neceſſaria ſit, correctione indigeat Kalendarium, negari tamen non poteſt in his litteris contineri plurima, quæ ſi typis ederentur, viris Aſtronomiæ ſtudioſis placere, eoſque a correctionis propoſito removere poſſent.

(13) Eximium hoc Guglielminii opus non ſolum præclaris illuſtravit commentariis, ſed nonnulla quæ ad Phyſicam, & Geometriam pertinent problemata adjunxit, ita ut in his adnotationibus ſummam doctrinam cum pari experientia conjunctam reperire ſit.

(14) Hanc

(14) Hanc conjecturam de irregulari graduum terrestrium curvatura proposuerunt postea alii viri docti. Neque dubitationem hanc omnino tollunt observationes de telluris figura recens habitæ. Propositas difficultates statim improbarunt aliqui, sed morose & paullo fastidiosius. Neque enim magnorum virorum dubia aspernari licet, sed ea venerari, & tamen examini subjicere oportet.

Opera Edita

OBSERVATIONES ASTRONOMICÆ ab Eustachio, Fratribus Manfrediis, & Stancario Bononiæ habitæ ante annum 1703. leguntur in libro, qui inscribitur = *Victorii Stancarii Philosophiæ Doctoris Bononiensis & in Patrio Archigymnasio Analyticæ Lectoris Schedæ Mathematicæ post ejus obitum collectæ, ejusdem observationes Astronomicæ. Bononiæ* 1713. *typis Jo: Petri Barbiroli in* 4. = Collegit has Stancarii Schedas Eustachius, ejusdemque Auctoris vitam accuratissime explicavit.

DESCRIZIONE d'alcune macchie scoperte nel Sole l'anno 1703., *e particolarmente di quella, che si è veduta sul fin di Maggio, tratta dalle osservazioni fatte a Bologna nell'Osservatorio dell'Illmo & Eccmo Sig. Co. Luigi Ferdinando Marsigli, e stesa da Eustachio Manfredi. In Bologna per Ferdinando Pisarri. in* 8.

EPISTOLA ad virum clarissimum Dominicum Quartaronium, qua Anonymi assertiones XVI. pro reformatione Kalendarii ab illo impugnatæ vindicantur. Venetiis apud Anton. Bartolum 1705.. *in fol.*

LETTERA del Signor Dottor Eustachio Manfredi Lettor di Matematiche nell'Università di Bologna, ed Accademico della Crusca, Arcade, Gelato, Dissonante al Sig. Marchese Giovan Giosesso Orsi. Scritta in Bologna il dì 1. *Settembre* 1706.

VITA di Marcello Malpighi. Locus ei datus est in primo volumine *delle vite degli Arcadi illustri*.

SCIEL-

SCELTA di Sonetti e Canzoni de' più eccellenti Rimatori d'ogni Secolo. In Bologna per Costantino Pisarri vol. 4. *in* 8. Pars prima hujus collectionis prodiit in lucem anno 1709., tres vero reliquæ prodiere diversis aliis temporibus.

EUSTACHII MANFREDII EPHEMERIDES motuum cœlestium ex anno 1715. *in annum* 1725. *e Cassinianis tabulis ad Meridianum Bononiæ supputatæ ad usum Bononiensis Scientiarum Instituti. Tom. II Bonon. typis Constantini Pisarri* 1715. *in* 4.

NOVISSIMÆ EPHEMERIDES motuum cœlestium e Cassinianis tabulis ad Meridianum Bononiæ computatæ ex anno 1726. *ad* 1750., *auctoribus Eustachio Manfredio, & Sociis, ad usum Instituti. Tom. II. Bonon apud Constantinum Pisarrum* 1725. *in* 4. In Præfatione Socios nominat, nempe Jacobum Parmam, Josephum Bolsium Marchesium, Joannem Baptistam Banderium, Dominicum Weber, Carolum Hebertum Monachum Hieronymianum, & Josephum Antonium Nadium.

SCRITTURE diverse in materia d'Acque. Multa quidem extant scripta Manfredii ad rem aquariam pertinentia, quorum nonnulla sunt inedita, edita vero magna ex parte; atque ex his postremis quædam singillatim volitant per manus hominum, & quædam conjunctim complectitur Collectio illa Florentina, quæ sic inscribitur= *Raccolta di Autori, che trattano del Moto dell'Acque divisa in tre tomi. Firenze* 1723. *nella Stamperia Granducale in* 4.= Juvat singula recensere Manfredii opuscula, quæ relata sunt in tertium volumen hujus Collectionis.

—— *PARERE intorno alla Pescaja da fabbricarsi nel fiume Era*.

—— *RISPOSTA alle ragioni de' Signori Ceva, e Moscatelli*.

—— *REPLICA de' Bolognesi ad alcune Considerazioni de' Ferraresi*.

—— *COMPENDIO ED ESAME del libro pubblica-*

to in Modena col titolo = Effetti dannosi che produrrà il Reno, se sia messo in Po di Lombardia =

—— *BREVE CONFUTAZIONE d' altra Scrittura pubblicata in Modena.*

—— *MEMORIA, che contiene le ragioni per l'unione dell' acque del Reno di Bologna col fiume Po.* Hoc opusculum Gallice scripsit Eustachius, ut doceret Parisiensem Scientiarum Academiam, quæ essent argumenta, quæ quod ipse intendebat, probarent. Italice vero reddidit vir immortalis Guido Grandius, ac notis sane doctis illustravit.

CONGRESSUS Mercurii ac Solis in Astronomica Specula Bononiensis Scientiarum Instituti observatus die 9. Novemb. 1723. auctore Eustachio Manfredio ejusdem Instituti Astronomo & Acad. socio. Bononiæ apud Constantinum Pisarrum 1724. in 4. Scriptores Actorum erud. Lipsien. ajunt hanc Dissertationem *rerum maximi ad Astronomiam momenti plenissimam esse.* In hæc ipsa Acta refertur

OBSERVATIO conjunctionis Veneris & Reguli die 3. Julii 1724.

—— *Eclipseos Lunaris Romæ habita Kal. Decembris an. 1732. in ædibus Card. de Via.*

—— *& Congressus Mercurii cum Sole in Astronomica Specula Bon. Scient. Instit. habita 11. Novemb. 1736.* Hæc observatio edita quoque fuit Bononiæ typis Lælii a Vulpe. in 4.

DE ANNUIS inerrantium Stellarum Aberrationibus. Bononiæ typis Constantini Pisarri 1729. in 4.

METHODE de verifier la figure de la Terre par les Parallaxes de la Lune. Legitur in libro cui titulus = *Histoire de l'Academie Royal des Sciences année MDCCXXXIV.* Hæc ipsa Historia, quæ est de rebus anni MDCCXXXIX. habet Elogium Manfredii a Fontanellio elegantissime scriptum. Multis vero in locis honorificentissime eundem Manfredium appellat.

COMPENDIOSA INFORMAZIONE di fatto sopra i Confini della Comunità Ferrarese d'Ariano con lo Stato Veneto 1735. in 8. DE

DE GNOMONE MERIDIANO Bononiensi ad Divi Petronii, deque observationibus Astronomicis eo instrumento ab ejus constructione ad hoc tempus peractis. *Bononiæ ex Typographia Lelii a Vulpe* 1736. *in* 4. De eodem Gnomone aliquot annos ante commentariolum confecerat Eustachius, quod relatum est in tom. 1. Act. Acad. Bononiens. Inst. Scient. cum hoc titulo

DE NOVISSIMA Meridianæ Lineæ, quæ in Divi Petronii extat, dimensione, deque exiguis Gnomonum motionibus præcavendis. Extant quoque in iisdem Actis hæc Manfredii opuscula.

Tom. I. *EPISTOLA de novissimis circa fixorum siderum errores observationibus ad Illustrissimum & Reverendiss. Antonium Leprottum Archiatrum Pontificium*.

Tom. II. p. II. *DE AUCTA maris altitudine*.

Parte vero III. *DE MERCURII ac Solis congressu observatio die* 9. *Novembris* 1723. De hac observatione supra commemoratum est.

—— *DE JOVIS ET MARTIS conjunctione heliocentrica observata anno* 1727.

—— *DE CONGRESSU Mercurii cum Sole observato die* 11. *Novemb.* 1736. *mane*, cujus etiam supra mentionem fecimus.

—— *DE COMETA anni* 1737., &

—— *DE SOLSTITIORUM tempore definiendo*.

ASTRONOMICÆ ac Geographicæ observationes selectæ. Opus hoc Francisci Blanchinii Manfredius rogatu Capituli Veronensis ordinandum edendumque suscepit. Editum vero Veronæ est anno 1737. in fol., nec dubitavimus illud inter opera Manfredii recensere, quoniam ipse in hoc multa addidit, atque attulit de suo.

DELLA NATURA DE' FIUMI Trattato Fisico-Matematico del Dott. Domenico Guglielmini con le note di Eustachio Manfredi all' Emo Card. Corsini: in Bologna nella Stamperia di Lelio dalla Volpe 1739. *in* 4.

ISTORIA della controversia su la figura della Terra, con la notizia della relazione ultimamente fatta da

quegli Accademici delle Scienze, che sono per ciò stati spediti nella Lapponia. Edita est in 4. volum. *delle Osservazioni Letterarie del Marchese Maffei*, quo in loco reperitur quoque commentariolum de vita Eustachii a Francisco Maria Zanotto Italice scriptum, suoque more elegantissime.

ELEMENTI DELLA CRONOLOGIA con diverse scritture appartenenti al Calendario Romano: opera Postuma: in Bologna nella Stamperia di Lelio dalla Volpe 1744. *in* 4. Scripta quæ ad Kalendarium Romanum pertinent, sunt.

—— *QUÆSTIONES de recta Paschæ indictione.*

—— *DELLA MANIERA più propria di uniformare le lunazioni Ecclesiastiche alle Astronomiche.*

—— *EPISTOLA ad Quartaronium*, de qua supra commemoratum est; &

—— *PARERE sopra l'opera Pasquale del Signor Ab. Jacobo Betazzi da Prato stampata in Firenze.*

INSTITUZIONI ASTRONOMICHE. Opera Postuma. In Bologna nella Stamperia di Lelio dalla Volpe 1749 *in* 4.

ELEMENTI DELLA GEOMETRIA Piana e Solida e della Trigonometria: Opera Postuma. In Bologna nella Stamperia di Lelio dalla Volpe 1755. *in* 4.

RIME di Eustachio Manfredi con un ristretto della sua vita, e con alcune sue Prose, ed alcuni lugubri componimenti, recitati in occasione della sua morte in Bologna nella Stamperia di Lelio dalla Volpe 1760. *in* 8. Tertia hæc est editio Carminum Italorum Manfredii. Ideo vero hanc recensuimus quia aucta est Oratione de laudibus S. Petronii, quam Eustachius habuit anno 1713. in Academia, quam vulgo vocant *de' Difettosi*, & fabella de vidua Ephesina ab eodem in cœtu Arcadum dicta an 1718.

LETTERE FAMILIARI: habentur in primo volumine illius Collectionis, quæ inscribitur = *Delle lettere familiari d'alcuni Bolognesi del nostro Secolo volum.* 2. =, quæque Bononiæ primum, mox Venetiis impressa est in 8.

FER-

FERDINANDO GHEDINIO

ANGELUS FABRONIUS S. P. D.

SI quantum es benemeritus de Patria, & litteris, tantum abs te amantur, qui pro viribus suis gloriæ & utilitati illarum consulere student, næ ego non temere in eam spem veni, fore ut commentariolum, quod a me novissime confectum est, quodque ad te mitto, de vita litteratissimi viri ac civis tui Petri Jacobi Martellii, aditum mihi ad tuam amicitiam patefaciat. Augent hanc spem meam usus, familiaritas, studiorum honestissimorum societas, quæ tibi cum eodem fuerunt, quæ res plurimum apud te valere debent, ut hominem complectaris, qui non mediocrem operam collocavit in exprimendis moribus, consuetudineque vitæ illius, de quo recordari non potes, quin renovetur veteris amoris, præteritorumque officiorum delectatio. Neque hujus unius viri caussa mihi benevolentiam tuam debes, Ghedini ornatissime. Nam claboratum quoque a me est, ut imagines exprimam alio-

rum Bononiensium doctrina illustrium, quique tibi aut fuere, aut sunt arctissimis amicitiæ vinculis conjuncti; &, si vita suppetet, hoc tibi etiam officium persolvam, quoniam deberi hoc a me tantis viris puto, ut cum vivam illorum memoriam teneamus, hanc reddere immortalem coner. Neque hoc dictum arroganter existimari velim. Nam licet non ea sit scriptorum meorum elegantia, quam immortalitas consequi debeat, ea tamen est materies, quam tractandam suscepi, ut nulla unquam futura sit tam ingrata posteritas, quæ non libentissime excipiat monumenta, quamvis incompta, virorum, qui optime de litteris meriti sunt. Quæ utinam qui legent, scire possent, quantum studii posuerim in iis colligendis, veroque quærendo, quo facilius mihi ignosceretur, si quid a me forte peccatum est. Quid porro præstiterim in hac contexenda Martelliana vita, nemo te melius videre potest; quodque de hac ipsa te judicem statuam, qui cum Martellio joca, seria, ut dicitur, arcana, & occulta omnia habuisti, hoc quoque erit diligentiæ meæ signum. Restat, ut hoc judicium tuum severe exerceas, meque doceas [non enim te judicem modo

modo, sed etiam doctorem cupio esse] si qua erunt, quæ vel addenda, vel mutanda esse, vel tollenda omnino tibi videantur. Hoc a te vehementer etiam atque etiam peto, præsertim cum fieri non possit sine aliquo indicio tuæ erga me benevolentiæ, quam si adipiscar, omnia me adeptum arbitrabor. Vale.

Romæ Kal. Martii MDCCLXVI.

PETRUS JACOBUS MARTELLIUS.



ETRUS JACOBUS MARTELLIUS Bononiæ natus est IV. Kal. Majas an. MDCLXV. patre Jo.Baptista, viro ea morum integritate, eaque scientia Philosophiæ, Historiæ Naturalis, ac præsertim Medicinæ, ut judicari haud facile posset, utrum melior esset, an doctior. Hic mature filium tradidit disciplinæ hominum S. J, a quibus Grammatica, & Rhetorica imbutus est, omnibus ostendens quanta esset ingenii docilitate. Sed non minus interea in Christiana pietate proficiebat, cum in primis emineret in puero summum pauperes sublevandi studium. E ludo Jesuitarum venit ad pu-

blicum Gymnasium, habuitque Philosophiæ præceptorem Paullum Sangettum ex Clericorum Regularium infirmis ministrantium familia, cujus magnum erat iis temporibus, & apud illam gentem nomen; contentoque studio ac cursu usus aliis præclaris doctoribus rerum divinarum scientiæ, ac juris prudentiæ operam dedit. Tali modo cum ad undevigesimum ætatis annum pervenisset, cæpit secum ipse cogitare, qui, & qualis esse, quodque genus studiorum sequi potissimum vellet. Plerunque fit, ut juvenes ea maxime exoptent, quæ parentibus pulcherrima videntur, & ad eorum studia impellantur. Contigerit hoc multis, Martellio non item, qui mortis instar putabat, si facere Medicinam cogeretur. Negare tamen Patri non potuit, quin ei saltem studeret; audivitque aliquot annos Volparium, aliosque exquisitos hujus facultatis Magistros, quibus semper urbs illa abundavit. Medicinæ fastidium adauxit amorem in humaniores litteras, quibus jam a puero Martellius deditus fuerat, earumque in sinu complexuque omnem ille molestiam deponebat. Ad has toto pectore colendas cum sua sponte, suoque judicio

cio moveretur, accessit quoque cohortatio viri earundem litterarum gloria præstantis Camilli Ettorii; huncque non solum auctorem, sed etiam adjutorem habuit ad se exercendum in lectione Oratorum, Poetarum, Historicorumque Græcorum. Græcis Latina conjungebat, & ex unoquoque auctore multa præclara sumebat, quæ aut memoria complectebatur, aut in adversaria conjiciebat. Nec minus studiose legebat scriptores Italos Dantem, Petrarcham, Boccaccium, ceterosque bonos, quos illa corupta ætate nemo fere in manus sumebat. Tunc enim homines deteriorum quam simillimos se esse malebant, cum nihil de verborum delectu, de sententiarum gravitate, de moribus, animique affectibus exprimendis solliciti, pueriles tantum ineptias, scurrilesque argutias, aut turgidum quoddam dicendi genus sectarentur. Quod autem inter hanc inscitiæ caliginem Martellius ad veterum Italorum scripta jam a prima adolescentia respexerit, debere se in primis fatebatur celebri pictori Carolo Cigniano, quem Pater, ut erat picturæ mire studiosus, domi ingenti sumptu alebat. Hic enim videns quam præclaro esset Petrus Jaco-

Jacobus ingenio, quod non modo in ejus ſermone, ſed in vultu etiam ipſo, & oculis elucebat, quoties ei ſe occaſio dabat, multa prædicabat de illis ſcriptoribus, in quibus is erat haud mediocriter verſatus; eorundemque amore ut illum magis accenderet, dum ipſe pingeret, inſignem aliquem locum eidem legendum dabat, quæque maxime excellebant, ea diligentiſſime perſequebatur. Sic cum hos Auctores quotidie haberet in manibus Martellius, ejus oratio illorum cantu, ut ait ille, non ſecus ac qui in ſole ambulat, quaſi colorabatur; cumque in lucem prodiiſſet, ſtatim famam apud cordatos viros conſecutus eſt adoleſcentis, in quo eſſent plurimæ litteræ, eæque non vulgares, ſed interiores & reconditæ. Delectabatur præſertim Poetica, ad quam eum natura formaverat, cui tamen haud ita obſecundabat, ut non ſibi ante oculos poneret inſignem aliquem ſive Græcum, ſive Latinum, ſive Italum ſcriptorem, quem imitando effingeret. In hoc ſtadio æmulum habebat Euſtachium Manfredium, cum quo certare erat glorioſum, ita tamen ut neuter alterius curſum impedire contenderet, ſed contra

tra ſemper alter ab altero & communicando & monendo adjuvaretur. Frequentabant docti hi adoleſcentes domum Joannis Joſephi Urſii, quæ quaſi ludus quidam omnibus patebat, qui commendationem ingenii haberent. Hic, cui in primis cari illi & jucundi erant, cæpit ardentes & erectos cohortari ad bellum contra barbariem inferendum. Hujuſmodi impulſu ipſi alacriores ad rem gerendam facti ad arma conclamant, bene animatos confirmant, alienatos ad ſanam mentem convertere ſtudent, & quantum conniti animo potuerunt, quantum labore contendere, tantum fecerunt, ne ulla pravitatis veſtigia manerent. Interim Martellius ex animi ſui ſententia uxorem duxit Catharinam Torrem, cujus amore (erat enim multis non tam corporis, quam animi virtutibus ornata) quantum ille flagraſſet, ſatis indicant multa ejus carmina, quibus Amaryllidis nomen celebravit. Nec ita multo poſt, cum idem ageret ſecundum & trigeſimum ætatis annum, creatur Scriba Senatus. Sed hæ lætitiæ minus ei diuturnæ fuerunt. Nam quædam domeſticæ calamitates vehementer hominem afflixerunt, ad quas acceſſit etiam om-

nium

nium acerbissima, mors videlicet Patris. Atque hæc etsi Christianum animum non frangebant, multum tamen ei detraxerant de pristina hilaritate, adeo ut existimarent homines, vel totum se abalienasse a jucundissima Musarum consuetudine. Sed falso. Nam in his malis additum potius erat aliquid ad suum erga illas studium, cui nihil videbatur addi posse, quam quicquam detractum. Nam maximum in eis malorum levamentum reperiebat. Tantum occultabat ea, quæ scribebat; scribebat autem de re digna pietate sua, quamque accommodatissimam duxit his suis calamitosis temporibus. Fecit ergo Poema, quod inscripsit: *Gli occhi di Gesù*: cujus totam formam antea Latine exposuerat, & cum summo viro Ludovico Antonio Muratorio sibi amicissimo tantum communicaverat. Illud quoque occulte moliebatur, ut conderet Tragædias, ad quod Poesis genus eum natura ferebat. Impellebat etiam ea cogitatio, quod magni intererat ad decus & laudem Italiæ, ut Tragædias haberet, quas populis suis spectandas daret. Nam præter quasdam antiquiores, ad Græcorum certe lucernam elabora-

boratas, ſed quas illius ætatis homines exegerant, nihil erat. Quo fiebat, ut omnis eſſet in Italiæ theatris dominatus Gallicarum Tragædiarum, quas plurimas in Italicum converterant Joannes Joſeph Urſius, Euſtachius Manfredius, aliique docti viri. Itaque cæpit evolvere quotquot ſcripſerunt Tragædias Quinaultium, Cornelium, Racinum, Grangium, Foſſium, Crebillionium, aliosque celebriores Poetas Gallos; idque eo attentius fecit, quod viderat hos populo, cujus veriſſimum eſſe in hoc genere judicium tradit Ariſtoteles, vehementer probari. Poſt hoc multum ſtudii conſumpſit in iis, quas habemus Tragædiis Sophoclis, Euripidis, & Eſchili; nec prætermiſit quoque inſigniores veterum Italorum, ex quibus omnibus dum ſingula diligentiſſime ſcrutabatur, infinita propemodum ſumpſit ad uſus ſuos accommodatiſſima. Neque hoc ſolum fecit, ſed etiam penitus noſcere voluit eos, qui præcepta artis tradiderunt. Sic igitur inſtructus venit ad ſcribendas Tragædias, primuſque laborum fructus fuit *Neronis mors*, quam verſibus hendecaſyllabis compoſuit. Sed hoc carminum genere

re minime ille contentus fuit. Nam cum videret, multis illud egere ornamentis, quibus tanquam columnis fulciretur, magis ad Epicam, & Lyricam Poesim, quam ad Tragicam aptum esse judicavit. Ex quo factum esse dicebat, ut sententiæ in veteribus Italicis Tragædiis multum deperderent roboris atque acuminis. Id ut vitaret malum, aliam viam tentandam putavit; ac re diu multumque secum deliberata, e multis carminum generibus elegit illud, quod quatuordecim syllabis constat, ea tamen lege, ut quæque septima producatur, & extremæ cujuscunque dislici syllabæ similiter desinant. Hæc studia domi inclusa habebat Martellius dum Reipublicæ quædam procuratio (muneri enim Scribæ Senatus accesserant alia onera extraordinaria) multis officiis inexplicatum & constrictum tenebat; illaque cum licebat, renovabat. Interim Senatus, id fuit anno MDCCVII. ad tradendas humaniores litteras publico in Gymnasio ipsum elegit; nec multos post menses ab epistolis eundem esse voluit Philippo Aldrovando, quem miserat Legatum ad CLEMENTEM XI. Ad hoc officium

ficium nemo admittitur nisi honesto loco, & fide & industria cognita, quod necesse est omnium consiliorum eum esse participem; illudque ita sustinuit Martellius, ut summæ, quæ de eo erat expectationi, plane responderit. Adspectus Urbis, quo cum uxore & liberis venit ineunte vere anni MDCCVIII, pristinam hilaritatem ei restituisse visus est. Ille magni interesse putavit, ut ad illam conjunctionem, quam Senatus judicium inter se & Aldrovandum esse voluerat, adjungeretur quoque consuetudo; idque sic obtinuit, ut nulla unquam fuerit amicitia conjunctior. Pari felicitate conciliavit sibi amicitias doctorum virorum, qui tum plurimi in Urbe erant, atque in primis carus iis fuit, qui in Arcadum cœtu florebant, quem in cœtum jam ab anno MDCXCVIII. fuerat cooptatus. His suadere non destitit, ut morem repeterent in unum locum conveniendi, proferendique aliquid in aspectum lucemque perfectum ingenio, elaboratumque industria. Anni enim plures erant, cum propter intestinas dissensiones publico carebant. Paruerunt ii monitis Martellii non minus ejus auctoritate, quam exem-

exemplo moti. Nam idem in conventu, qui habitus est in hortis Principis Ruspoli in Exquiliis, dixit orationem, in qua exposuit quo in statu res Arcadum essent; idque eo spectabat, ut aliquem impelleret ad concedendum locum certum ac stabilem, in quo iidem Arcades consistere possent. Huic orationi sane suavi, eruditæ, politæque ab universo consessu plausus multiplex fuit datus, idque Auctori aditum patefecit ad amicitiam quorundam, qui erant honoribus amplissimis ornati, quibusque ille non satis antea cognitus erat. Nec diu qui vir esset Martellius, fugere potuit acerrimum illum ingeniorum existimatorem Clementem xi; hicque ostendit magna in gratia atque opinione fidei ac prudentiæ eundem apud se esse, tum in aliis rebus, tum in eo præsertim, quod gravissima illi mandata dedit ad Cardinalem Grimaldium, qui iis temporibus Bononiensem Provinciam gubernabat. Post expleta mandata vix in Urbem redierat Martellius, cum orbatus fuit Joanne Baptista, qui erat minimus natu trium, quos susceperat filiorum, quique omnes ingenio ac festivitate superabat.
Hunc

Hunc casum doluit ille vehementer, suique doloris voluit extare memoriam sempiternam in multis Italicis carminibus sane elegantissimis, quibus Osmini [in hoc enim Joannis Baptistæ nomen commutavit] mortem deflet. Doloris haud mediocre levamen fuit alterius filii ortus, cui pariter Joannis Baptistæ nomen dedit. Alios quoque ex se fœtus non fragiles ac fluxos, sed claros æternosque procreavit, qui, si ullus gloriæ sensus erat in eo, calamitatem illius solari non parum poterant. Protulit enim in lucem eodem ferme tempore Poema *Oculorum Jesu* multis locis emendatum ampliatumque, libellum *de arte Poetica*, volumen *Carminum Italorum*, alterumque volumen *Tragædiarum*, nec non opusculum *de Versu Tragico*. Ad sensum virorum, quorum judicium est acerrimum, habet illud Poema varietatem magnam, tantaque est copia rerum, quibus ornatur, ut nihil possit esse dulcius iis præsertim, qui aliquam intelligentiam habent Theologiæ, Philosophiæ, atque Astronomiæ. Nam in eo multa admista sunt ex his facultatibus deprompta: quodque vix credibile est, res altissimæ adeo dilucide ac poetice declarantur,

ut æque ac belliſſimæ fabulæ lectorum animos oblectent. Omnem autem digreſſionem ab eo, quod propoſitum eſt, ita moderatur Poeta, ut ex ipſa re effloruiſſe videatur. Idem voluit, ut novitas quoque hoc ſuum Poema commendaret, illaque non tam in inventione apparet, quam in elocutione, quæ quidem ſplendida eſt atque magnifica, ſed quandoque artificioſe cæditur, habetque idiotiſmos quoſdam, qui minime diſplicebunt libertatis amatoribus. Ut vero Martellius hominibus perſuaderet, cum quadam veri ſimilitudine ſe finxiſſe in quarto libro hujus Poematis, per immenſum cæli ſpatium in navi alata vectum ſe fuiſſe, Dialogos quoſdam fecit, vulgavitque hoc eodem tempore, in quibus probare nititur, arte fieri poſſe, ut homo, aliaque gravia corpora ab aere ſuſtententur, ac volent; rationemque tradit volantis navis conficiendæ. Ludicram hanc, ut ille appellabat, Apologiam, ſic tractavit, ut in ea ſtyli elegantia cuidam novitati conjuncta, varia eruditio, multaque doctrina ſumpta præſertim e recentiorum philoſophia ſplendeſcat. Utique Martellium in principibus numerandum

dum esse Poetis, qui hoc sæculo floruerunt, satis etiam indicat volumen Carminum, quod supra commemoravimus. Siquidem inest in his varius numerus, qui semper aures complet, splendor verborum ac sententiarum, quidam venustatis non fuco illitus, sed sanguine diffusus color, figuræ quæ res ante oculos ponunt, novi quidam, atque admirabiles tum cogitandi, tum dicendi modi, quæ quidem, aliæque virtutes, cum ubique appareant, maxime tamen elucent in carminibus, quibus aut nuptias Rinaldi & Carlottæ Estensium celebravit, aut pietatem Ludovici XIV Galliarum Regis in astra sustulit, aut homines ad amandum Deum excitavit, aut mortem deflevit Prosperi Malvetii, aut ad pastoritiam tibiam cecinit diem, quo Joannes Nicolaus Tanara in matrimonium duxit Theresiam Zambeccariam. Quam vero viam ille secutus fuerit, ut ad laudem insignis Poetæ perveniret, voluit, ut esset nota omnibus. Itaque Sermones novem Italicis versibus condidit, in quos quidquid habuit judicii de arte Poetica, contulit; iique adeo Auctori suo probabantur, ut non recusaret, quin quantum de

 iis-

iisdem Sermonibus, tantundem de judicii sui fama detraheretur. Exponit in ipso ingressu qualis esse debeat indoles illius, qui ad Poesim aspirat. Quoniam vero in hoc difficili itinere non minus ars, quam natura dux esse debet, transit ad docendum quid sit id, quod arte effici possit; irridetque eos, qui cum in Poetica parum aut nihil se exercuerint, tamen hujus facultatis præcepta tradere se posse putant. In primis jubet perspicere quid in quaque re verum sit, idque sic exprimere coloribus, ut qui legunt, sibi oculis perspicere videantur. Quapropter multum interesse ait, ne quis in describendis rebus nimius sit, ut oratio semper consonet moribus, fortunis, actionibusque hominum, de quibus loquimur, omninoque poeticus decor servetur. Admonet adolescentes quid sequi, ac cavere debeant in legendis imitandisque Auctoribus, inter quos plenissimo ore laudat Chiabreram & Guidum; ceteros vero quanquam primorum graduum non tam laudat, quam libere reprehendit. Videtur profecto Martellius sic informare velle Poetam, ut in eo vim artificii consumat, quo is potius ab aliis imitandus,

quam

quam aliorum bonus imitator existimetur. Omnibus autem præcipit, quod ille sancte semper servavit, ut in scribendo non alia lingua utantur, quam propria; vultque licere etiam in lingua copiosissima, qualis profecto est Itala, novos interdum proferre dicendi modos. Quasdam breves, & non communes dat regulas formandæ poeticæ dictionis; atque Horatiana monita de scriptis diu domi premendis, deque idoneo eligendo Aristarcho decantat. Propositum hoc fuit Martellio, ut quæ in hos Sermones intulit præcepta de Arte Poetica, non tam explicaret, quam oculis subjiceret. Quod quidem mirabiliter præstitit; utque præstaret non parvo ei adjumento fuerunt, quas ab arte & historia Pictorum sumpsit similitudines. Jure igitur meritoque a doctis quibusdam viris dictum fuit, hos Sermones virtute evidentiæ cum Epistola Horatii ad Pisones æquari conferrique posse. Nonnulla quoque præcepta de Arte Poetica dedit Martellius in eo libello, quem inscripsit, *Commentario*: in quo etiam suis ponderibus examinat, quid laudis, quid vituperationis debeatur celebrioribus Italicis Poetis. Fingit enim in-

ter hos fuisse controversiam, utrum Petrarchæ an Marino concedendus esset principatus Lyricæ Poesis, & judicium de hac quæstione Apollinem non tam ex suo, quam ex prudentum consilio fecisse. Plauserunt eruditi omnes his Martellii operibus. Sed non eandem nactæ sunt fortunam illius Tragædiæ. Quanquam enim hæ non paucos, eosque intelligentes haberent laudatores, non defuere tamen, qui de iisdem detraxerunt. In his numerabatur Joannes Vincentius Gravina, isque maxime oppugnabat genus carminis, quo usus est Martellius. Hic vero in iis sermonibus, quos se cum Aristotele fingit habuisse de veteri & recenti Tragædia, acute respondit ad singula, quæ sibi opponebantur; quanquam gloriari poterat, hæc se jam antea occupasse in eo, quem memoravimus libello *de Versu Tragico*. Ex hoc libello facile intelligi potest, quantum illi studii, commentationis, ac temporis fuerit, antequam ad scribendas Tragædias veniret. Examinat in eodem genus carminis a celebrioribus Italicis Tragicis adhibitum, idque ejusmodi esse ait, ut plerunque languescat, aut aliquando nimis se extollat, quale Lyri-

Lyricæ Poesi convenit. Quæ quidem eo ſpectant, ut probet maxime omnium aptum eſſe Tragædiæ verſum illum, qui fit, ſi copulentur duo illorum verſuum, quos cum Chiabrera nominat *Giambici dimetri ſcemi*, cujuſque inventorem fuiſſe tradit quendam Ciullum Poetam Siculum, qui floruit circiter ſæculum tertium & decimum. Sine dubio hoc carminis genus inducit majeſtatem gravitatemque, nec poterit diſplicere iis, qui illi aures aſſuefecerint. Exiſtimarunt aliqui ſimile omnino eſſe Gallorum verſui, qui Alexandrinus dicitur: ſed negat Martellius, erroremque illorum, qui ita putarunt, coarguit. Quod vero ad ſtylum attinet, quo ſcriptæ ſunt hæ Martellianæ Tragædiæ, ineſt in eo naturalis nitor ac ſplendor, & a longe quæſitis poeticis ornamentis plurimum diſtans. Hæc tamen naturalis bonitas ſæpe deſideratur in collocatione verborum, idque arbitror Poetam conſulto feciſſe, propterea quod in ea erat ſententia, debere Tragicorum ſtylum ita imitari ſermones veros & familiares Principum, ut in eo aliquid artificii appareat. Perſonæ, quas in has Tragædias

transtulit, sunt eæ quidem grandes, omninoque cum sensu tractantur. Novas interdum inducit, & nihil scenæ committit, quin semper memor sit illius præcepti:

—— —— —— —— *Servetur ad imum*
Qualis ab incepto processerit, & sibi constet.

Sunt in his ipsis Tragædiis multæ ad docendum acutæ, & ad commovendum graves sententiæ, eæque breviter ac commode exprimuntur. Non dubito tamen, quin Poeta magis tenere oculos multitudinis potuisset, si in his fabulis minus ingenii atque artis extare voluisset, atque non exigeret identidem attentissimum animum ad loquentium mentem assequendam. Ego de meo sensu judico. Errabo fortasse, ut certe errarunt adversarii Martellii, qui prædicabant, si hæ fabulæ peragerentur, neque probabiles, neque tolerabiles unquam futuras propter carminis genus, & illud continuum similiter desinens. Constat enim a celebri Actore Aloysio Riccobonio, aliisque, earum plerasque in celebrioribus Italiæ urbibus maximo cum plausu populo exhibitas fuisse. Inter quas eæ, quibus sunt nomina, *Iphigenia in Tauris* & *Alceste*, non

non tantum cum novæ darentur, ſed etiam decies repetitæ fletum ſpectatoribus moverunt. Poeta vero ut cariſſimam filiam *Siſaram* diligebat, credo quod novitate in primis delectabatur. Sed ad Gravinam revertor. Is quinque Tragædias vulgavit, quas Martellianis opponeret, utque veram earum ſcribendarum viam exemplo monſtraret. Quam bonæ, nihil ad rem. Tales certe ille judicabat, licet trium menſium ſpatio, ſi ei fidem habeamus, conditas diceret. Sed neſcio quo pacto in poeticis operibus magis, quam in aliis ſuum cuique pulchrum eſt. Martellius autem quid ſe facere par eſſet intuebatur, non quid Gravina laudaturus foret; ſatiſque opinabatur hoc eſſe defenſionis ac laudis, quod frequentiſſimo theatro, ac magno clamore, cum id æque gloriari non poſſet Gravina, ſuæ Tragædiæ ſæpe comprobatæ fuiſſent. Ad quam gloriam augendam licet is eandem incudem diem noctemque tunderet, non tamen quidquam detrahebat de cura ac ſedulitate, quas ſolitus erat adhibere in Patriæ negotiis procurandis. Aderat in omnibus rebus Aldrovando, & hic ejus conſilio in primis movebatur.

tur. Habuit ſane Aldrovandus negotia graviſſima quæ tractaret, nec quidquam illorum explicuit, quin tantum tribuerit Martellio, ut cum eo gloriam communicaverit. Multas quoque res Martellius ſine Aldrovando geſſit eo tempore, quo hic valetudinis cauſſa ab Urbe abfuit. Quo tempore cum frequenter adiiſſet S. Pontificem CLEMENTEM XI., mirificas ab eo ſemper tulit voluntatis ſignificationes. Idem Pontifex cum vellet an. MDCCXIII. Pompejum Aldrovandum XIIvirum litibus judicandis ad Galliarum primum, mox ad Hiſpaniarum Reges de ſuis rebus maximis Legatum mittere, a Senatu Bononienſi requiſivit, ut bona ejus cum venia, & ſine detrimento ſtipendiorum, quæ de publico ærario pendebantur Martellio, hic ejuſdem Aldrovandi aſſecla, & adjutor eſſet in conſiliis capiendis. Senatus non ſolum Pontificis voluntati morem gerendum cenſuit, ſed etiam Martellio ſtipendia duplicavit. Comitabantur in itinere Aldrovandum duo ſumma nobilitate Præſules Ovardus, & Aquaviva, ac præterea Marcus Antonius Ranutius, Ubertinus Landus, aliique non tam genere, quam doctri-

na

na clari viri, quorum omnium magnam benevolentiam brevi consecutus est Martellius. Cum vero Parisios venisset, ad amicitiam accessit Cardinalium Philippi Gualterii, & Melchioris Polignachii, & in familiaritatem penitus intravit Cornelii Bentivoli, qui tum in eadem civitate Pontificis erat Legatus. Usus quoque familiariter est litteratissimis viris Fontanellio, Motta, Regnierio, Hiro, Capistronio, Crebilionio, Malesieuo, Fraguerio, Surinio, & fœmina horum nemini doctrinæ laude secunda Dacieria. Cum his Martellius sæpissime sermones habebat de litteris; cumque aliquando ad Tragædias venissent, ille rogatus est [nemo enim non norat, quantum in hoc Poesis genere valeret] ut suam opinionem proferret de ratione Græcos Tragædos imitandi, & præsertim liceret ne expressos ab iis suorum temporum mores, ad nostrum usum transferre. Cumulatissime iis quidem satisfecit. Id vero occasio illi fuit conficiendi Dialogos quosdam, in quibus suam totam *de veteri & recenti Tragædia* explicaret sententiam. Hos probatos fuisse amicis ejusdem, id erit indicio, quod eos Parisiis eden-

edendos curaverint. Id molefte tulit Martellius, qui eofdem non fatis perfeciffe exiftimabat. In his Dialogis laudat quidem Tragicos Græcos, atque ad illos imitandos homines hortatur; inquit tamen, perquam diligenter videndum effe quatenus, quoniam nec vitiis carent, & habent plurima, quæ mores hodiernos dedecent, quorum rationem habendam effe affirmat. Bene ac fapienter eos facere, qui naturam fibi proponunt tanquam exemplar quod imitentur, quique rationem magis, quam Ariftotelica præcepta confulunt. Explicat in quo præfertim confiftere debeat mirabile Tragædiæ: pluribus verbis examinat præceptum de unitate actionis, temporis, & loci, contenditque inter omnes convenire oportere, ut actio una fit, unum tempus, quanquam hoc longius unius diei fpatio produci poffe afferat, non æque tamen convenire neceffe effe, ut omnis locorum varietas a Tragædia abfit, ad quam fententiam declarandam maxime conducunt, quæ de veteri & noftrati fcena in medium profert. Docet quid interfit inter Gallos & Italos in iis, quæ pertinent ad moderandam fcenam, ad agen-

agendam fabulam, & ad actorum vestitum; & quæ ab utrisque peccantur, libere reprehendit. Videtur quoque arguere Tragicos Gallos, quod nimium Amori tribuerint, usque eo ut actiones gravissimas, & maxime illustres effœminaverint; quodque in repræsentandis factis alienigenarum nationum mores patrios magis, quam illarum spectaverint: Eadem ferme repetit, quæ alibi scripserat, de versu Tragico, & præcepta quoque tradit de conficiendo melodrammate, ut quod sua natura vitiosum est, minus deformitatis habeat. Quanquam vero Martellius intelligentia Tragicæ Poesis omnes fere anteire videretur, ei tamen libuit, ut quinque recens a se factæ Tragædiæ judicium doctorum Gallorum subirent, a quibus cum multa objecta fuissent, horum pleraque rationum pondere diluit, & si quam culpam a se commissam agnovit, ingenue fateri non dubitavit. Non poterat non libentissime Martellius in clarissima Europæ luce, & in doctorum non solum, sed etiam nobilium virorum flore versari, a quibus omnibus magnis honoribus afficiebatur. Quapropter non fastidio ejus, in qua erat urbis, sed

cari-

caritate Patriæ factum esse existimare debemus, quod a Pontifice M. impetraverit, ut in Italiam redire posset. Videns enim in longum tempus duci confectionem negotiorum, quæ tractanda susceperat Aldrovandus, non ferendum putavit, ut majus detrimentum Patria acciperet in solvendis sibi satis amplis operæ pensionibus, eo tempore quo omnino opera sua carebat. Itaque Romam novem circiter post menses, ex quo ab ea discesserat, ad suum pristinum munus rediit; quo ut pervenit S. Pontifex ab eo edoceri voluit, quo in statu essent res suæ Parisienses. Cui satis quidem fecit Martellius, cum particeps omnium consiliorum fuisset, & horum oratione explicandorum miram facilitatem haberet. Romæ cum satis otii nactus esset, hoc in primis contulit ad emendandum Dialogum *de veteri & recenti Tragædia*, cujus paullo supra mentionem fecimus; & ad condendam fabulam Piscatoriam, cui nomen est *Adria*, quam quidem omni venustate ornavit. Non mediocre quoque tempus posuit in describenda vita Alexandri Guidi, cui neminem in Poesi superiorem ponebat; & in corrigendis, edendisque in unum corpus collectis, quas

quas ad eam diem lucubraverat, Tragædiis. Earum autem corrigendarum caussam in primis attulerunt animadversiones, quas ejusdem rogatu confecerant docti viri Justus Fontaninius, & Vincentius Leonius. Hæ Tragædiæ tribus voluminibus continentur, easque nuncupavit Cardinali Annibali Albanio, cui gratissimum fuisse munus ex eo potest conjici, quod eodem suffragante, maximus natu filiorum Martellii auctus est satis pingui sacerdotio. Sine dubio Italica Poesis plurimum debet Martellio, non modo quod eam nobilissimis Tragædiis locupletaverit, sed etiam quod exemplo suo multos excitaverit ad excolendum hoc Poesis genus longo temporis intervallo in Italia intermissum. Hi tamen, si perpaucos excipias, quanquam nihil nisi summa ratione fecisse Martellium existimarent, adduci minime potuerunt, ut Martellianum versum sequerentur, huic hendecasyllabum præferentes. Ex hoc autem intelligi potest quantæ operæ sit Tragædiam condere, quod in tanto Poetarum numero, qui his temporibus ad Tragicam Poesim se applicuerunt, pauci admodum extiterint, qui pluries ingenii

per

periculum facere voluerint. Contra Martellius non contentus tribus voluminibus Tragædiarum editis, nunquam destitit, quid in hoc posset, tentare. Et quidem felici semper eventu. Itaque fecit, ut vere dictum de eo esse videatur a scriptoribus Ephemeridum Trevolitiensium, *Peu de nos Tragiques s'egaillent a Monsieur Martelli*. Inter Tragædias quas postremis temporibus fecit, duæ sunt versibus hendecasyllabis scriptæ *Helena Casta*, & *Perseus in Samothracia*, cujus rei id caussæ fuisse idem fassus est, ut ostenderet se non aversissimo animo esse a veteri Italorum in scribendis Tragædiis consuetudine; addebatque optare se (ætas, & casus quidam ne faceret impedivere) eas versibus Martellianis reddere, quo facilius homines versum cum versu comparantes, intelligerent quantum hendecasyllabus detrahat de naturali ac non fucata illa gravitate, quæ inesse Tragædiæ debet. Accidit anno MDCCXVI. ut ardentiori fortasse quam antea studio Romæ ageretur, quæ jamdiu torquebat Bononienses, & Ferrarienses controversia de reducendo Rheno in Padi alveum. Quod quidem negotium pro suo mune-

re

re ſic procuravit Martellius, ut difficile ſit judicare utrum ei glorioſius, an laborioſius fuerit. Pro his tantis ſuis meritis præter illam laudis & gloriæ, alia quoque merces ei perſoluta eſt a Patria amantiſſima. Nam, decernente Senatu, ſuffectus eſt Jacobo Bergamorio, qui primum locum tenebat inter eos, qui ſunt eidem Senatui a ſecretis. Ad hoc tamen munus ſane honeſtiſſimum non venit, niſi confecto negotio de aquis, idque fuit menſe Aprilis an. MDCCXVIII. In hoc quoque amor Patriæ erga illum ſe oſtendit, quod eodem ferme tempore plurimum auxerit ſtipendium, quod pro munere docendi humaniores litteras ei perſolvebatur; quodque honorem non vulgarem contulerit in ejus natu maximum filium. Hunc enim voluit eſſe ab epiſtolis Camillo Bolognetto, quem Legatum ad Cæſarem graviſſimis de cauſſis legabat. Quanquàm nullus dies a negotiis Martellio vacuus eſſet, ſatis tamen ei relinquebatur temporis, quod in ſtudiis ac litteris ſuis conſumeret. Et eo maxime incubuit, ut Poema conderet de adventu Caroli Magni in Italiam, ejuſque ad Occidentis imperium adſcenſu. Utinam ad exi-

tum perduxisset opus immortale futurum, ut judicium facere licet ex decem & sex, quos reliquit, libris. Proposuerat hoc sibi, ut magna varietate illud condiret, & more institutoque Ariosti modo ludicrum, modo sublime, modo æquabile & humile pro varia rerum natura adhiberet dicendi genus. Eodem quoque ferme tempore aliud scripsit Poema, in quo non Heroam aliquem cecinit, sed Monachos acriter inter se contendentes de hereditate, quæ fuerat testamento legata cuidam Asino, quem nominatum fingit *Radicone*, ex quo nomen Poema invenit. Dividitur hoc trecentum in ὀγδοάδας; versus vero sic terminantur, ut extremæ uniuscujusque syllabæ octies similiter desinant, quæ quidem res plurimum habet difficultatis, unde factum fortasse est, ut in hoc Poemate cetera inter desideretur molle quoddam ac libere fluens. Neque ita multo post elucubravit Diàlogos, quibus tituli sunt, *il Tasso, o della vana gloria*; & *il vero Parigino Italiano*, quorum in primo laudes Torquati Tassi celebrantur, harumque laudum occasione disputatur, an ullus sit in mortuis gloriæ sensus: in secundo vero docte atque erudite ostenditur, Italos multum præ-

præſtare Gallis Architectura, Oratoria, atque Poetica facultate, cujus rei id cauſæ eſſe dicit, quod hi Veterum, ac præſertim Romanorum ædificiis minime utantur tanquam regula, ad quam ſua ædificia dirigant; quod iidem careant quodam oratorio numero ac modo, cui primas in eloquentia tribuere videtur Cicero; quodque eorum Poeſis non habeat propriam quandam linguam, qua loquatur, ut certe habet Italica, non ſecus ac Græca atque Latina. Confecit & quaſdam Satyras, quibus lepide exagitat fictos oſtentatores doctrinæ, & laudum mercatores. Debemus quoque ad Satyrarum numerum adſcribere fabulas illas, quas nominavit, *il Femia*, & *il Reno Penſile*. Hæc inſectatur & exagitat quod propoſuerat Corradus de deducendis per novum alveum Rheni aquis, illa mordet Scipionem Maffejum, pænas ab eo reticentiæ expetens. Hic enim, etiam cum commemorare debuerat celebriores Italos Tragicos, nullum unquam fecerat verbum de Martellio, ejuſque Tragædiis, quod homini pluſquam ſatis gloriæ cupido injurioſum videbatur. Porro hæc Satyra cum non ita occultari potuiſſet, quin ejus exem-

plar ad manus Maffæji perveniret, fuiſſet magnarum inimicitiarum flabellum, niſi graviſſima auctoritate viri ſe ſe opportune in pacificationem interpoſuiſſent; & Martellius quotquot habebat illius exemplaria in ignem conjeciſſet. Quid vero illum impulerit ad hanc ſcribendam Satyram, quam belle ejus argumentum ex Homeri Odyſſea ſumpſerit, mutans Homericum Phemium in Pheniam, quid eadem Satyra in Maffæjo, ejuſque ſcriptis reprehendat, quonam modo Martellius ſe geſſerit ante & poſt ortam controverſiam, quid de tota hac re judicaverint, cognoverint, ſtatuerint graves homines, multis verbis perſequitur epiſtola quadam, quam inſcripſit, *della Ritirata del Femia*: ſed hæc minime typis mandata eſt. Nec non libellum contexuit *de Arte Rhetorica*, qui omnem fere rationem oratoriam complectitur, & in multis rebus de iis, quæ propoſitæ ſunt, habet illuſtria exempla ſumpta ex Græcis, Latinis, Italicis, & Gallicis Scriptoribus. In eo quoque haud pauca admiſta ſunt ex ſacris libris, quos libros Martellius, ut erat Religionis cultor eximius, nunquam de manibus deponebat. Idem, ſi

vaca-

vacabat occupationibus patriæ urbis, ſolitus erat veſpere frequentare domum Joſephi Comitis, quo conveniebant multi docti viri, maximiſque amicitiæ vinculis Martellio conjuncti, Euſtachius Manfredius, Ferdinandus Ghedinius, Joannes Petrus, Hercules, & Franciſcus Maria Fratres Zanotti, Joſephus Puteus, Alexander Bacchettus, & Paullus Balbus. Neque unquam ſine aliqua lectione conventus hi agebantur, cum fas non putarent homines induſtrii ullum tempus abire, quod non eſſet cum aliqua utilitate conjunctum. Cumque aliquando accidiſſet, ut Demoſthenem lectitarent, cujus ſummam dicendi vim omnes admirabantur, id cupiditatem injiecit Martellio tentandi, an illum imitando aſſequi poſſet in oratione, qua mortem cujuſdam canis dolet. Sed vereor ut exiſtimatores docti & intelligentes ſatis Demoſthenem in hac Martelliana Oratione poſſint agnoſcere. Vivebat quidem jucundiſſime Martellius in gremio Patriæ, & in ſinu conjugis, liberorumque ſuorum, quibus omnia officia ſua præſtabat. Neque enim minus bonus paterfamilias habitus eſt, quam civis. Cunctis vero ſe completum fuiſſe gau-

diis dicebat, cum matrimonio junxisset suos filios Carolum, & Virginiam, illum nobili probæque fœminæ Constantiæ Forniæ Mutinensi, hanc Josepho Puteo viro humanissimo, & non solum Poetæ suavi, sed etiam Medico docto. Hi enim filii & propter indulgentiam ejus, & propter illorum excellens ingenium, animique dotes, erant ei vita sua cariores. Quod tunc maxime ostendit, cum Virginia, biennio postquam nupsisset, mortem obivit. Sic enim hunc casum doluit, ut nullus solatio locus relictus esse videretur. Nam ab iis artibus, quas nullo unquam tempore non celebraverat, & in quibus sæpe perfugium rebus adversis repererat, prorsus se disjunxit; hominum conspectum vitabat; in ejus oculis atque vultu mœror apparebat; quæque ei integra, ac firma semper fuerat valetudo, sic tota perturbata est, ut ille non dubitaret, quin sibi parum vitæ superesset. Febrim habebat lentam, quam summa nauseæ molestia comitabatur, sæpe animus & vires eum relinquebant; cumque aliquando a deliquio convaluisset, tantam vim sanguinis subito evomuit, ut propius nihil factum fuerit, quam ut suffo-

care-

caretur. Atque hoc prius quam ei accideret, quanquam e febri langueret, ſemel tamen atque iterum ad templum deferri voluit, ut JESU CHRISTI CORPUS ſumeret, qua una re ſolari ſe morbum, miſeriamque ſuam dicebat. Alia quoque plurima dedit hoc extremo tempore Religionis indicia. Nihil niſi Deum loquebatur, ſæpe lectorem vocabat, qui ſibi aliquid de ſacris libris, vel etiam de ſuo Poemate *Oculorum Jeſu* recitaret, nec unquam mentio fiebat ſummæ Dei erga nos caritatis, quin lacrimas profunderet. Miram quoque patientiam præ ſe tulit in ſuſtinendis acerbiſſimis doloribus, quos cepit ex inflammatione inteſtinorum, qua periit. Hac priuſquam tentari inciperet, ex iiſdem inteſtinis magna ſanguinis copia erupit. Morti jam proximus ſuos omnes ad ſe accerſiri juſſit, iiſque ſaluberrima monita atque præcepta reliquit. E vita vero diſceſſit VI. Id. Majas anno MDCCXXVII. Quam carus civitati fuerit, indicatum eſt mœrore funeris, quod ſatis amplum ei liberi faciendum curarunt in Æde S. Proculi, quanquam ſe optare oſtendiſſet, ut ſine ulla pompa eo ſepeliretur loco, qui datus

est sepulturæ mendicorum hominum. In monumento, quod illi positum est in eadem Æde, hæc inscripsit Eustachius Manfredius, ut satis non modo voluntati eorundem liberorum, quam suæ conjunctioni atque amori erga illam carissimam animam faceret.

PETRO JACOBO MARTELLIO
PHIL. DOCT. HUM. LITTER. PROFESS. PUBL.
SENATUI A SECRETIS
QUI
OB ANIMI CANDOREM MORUM SUAVITATEM
INGENII CULTUM
ATQUE ELEGANTIAM
TANTAM APUD OMNES GRATIAM
EST ASSECUTUS
QUANTAM
UNIVERSÆ CIVITATIS LUCTUS DECLARAT
FILII MOERENTES PP.
VIXIT ANNOS LXII. DIES X.
OBIIT VI. ID. MAJ.
MDCCXXVII.

Quæ hic prædicantur morum suavitas, & animi candor in Martellio eminebant in primis; omninoque ita natura comparatus erat, ut nihil ferre

re posset veteratorium ac fictum nisi in scena. Cum suis nunquam in simultate fuit. In eos quos aut ætas, aut sapientia, aut honos, aut aliqua dignitas commendabat, fuit observantissimus. Quos semel in amicitiam receperat nunquam ab se dimittebat; & in amicorum procurandis negotiis tanta erat cura, ut non alienam, sed suam rem videretur agere. Adolescens multis senibus fuit jucundissimus, senex adolescentibus; cum æqualibus vero suis sic vixit, ut difficile sit judicare, cui ætati fuerit aptissimus. Ad hanc hominum benevolentiam ei conciliandam non dubito plurimum valuisse præter eximias ejusdem animi virtutes, magnam corporis pulchritudinem, leporem ac festivitatem orationis, quibus indulgebat præsertim in congressionibus familiarium. Qui porro ejus habitus fuerit ex hoc carmine cognosci poterit, quo Eustachius Manfredius illius imaginem lepide expressit.

Agil gamba, agil fianco, agile imbusto,
Buon color, fronte aperta, occhio amoroso,
Sottile il labbro un sotto l' altro ascoso,
Naso lungo aquilin fra'l grande, e il giusto.

Ve-

Venerabile il tergo, il passo onusto;
Alta la testa, il portamento arioso;
Parlar soave, ed atteggiar vezzoso,
Franzese l' aria, e Spagnoletto il fusto.
Un conversar giocondo, un naturale
Affacendato disinvoltamente,
Di grand' impegno, e di ripiego eguale,
E' il carattere in volto di una mente
Piena d'alti pensier, fra quai prevale
La gran tranquillità del non far niente.

Amantissimus suorum scriptorum fuit; & cum omnis vituperatio ei erat molesta, tum illa multo molestissima, quæ tribuebatur versui, quo usus est ad scribendas Tragædias. Quare minime est mirandum, si omnia summa ab eo sibi polliceri poterant, qui ejus essent in hac re exemplum secuti. Facile tamen ei fuisset omnem reprehensionem vitare, cum nemo illo magis viderit, quæ suis scriptis objici poterant. Itaque, si qua sunt vitia in Martellianis scriptis, fortasse in illum apte quadrare videtur, quod de Ovidio dixit M. Annæus Seneca: *Non ignoravit vitia sua, sed amavit.* *

* Controv. lib. II. cont. X.

OPE-

Opera Edita

Lælius a Vulpe typis suis sane nitidis a. 1729. vulgavit septem volumina in 8, ut dicitur, magno, operum Petri Jacobi Martellii. Nos prius ordine recensebimus opera, quæ his voluminibus continentur, postea enumerabimus ea, quæ sunt quidem edita, sed locum minime habuerunt in septem memoratis voluminibus.

Tom. I. *DIALOGO della Tragedia antica e moderna, o sia l'Impostore.*

Tom. II. *TEATRO ITALIANO. Parte I.* = *Trattato del Verso Tragico.* = *La Perselide.* = *Il Procolo.* = *L'Ifigenia in Tauris.* = *La Rachele.* = *L'Alceste.* = *Il Gesù perduto.* = *La morte di Nerone.* =

Tom. III. *PARTE II. del Teatro Italiano.* = *Il Marco Tullio Cicerone.* = *L'Edipo Coloneo.* = *Il Sisara.* *L'Adria.* = *Il Q. Fabio.* = *I Taimingi.* =

Tom. IV. *SEGUITO del Teatro Italiano. Par. I. L'Arianna.* = *Il Catone tratto dall'Inglese dell'Adiffon.* = *Che bei Pazzi.* = *Il David in Corte.* = *L'Elena Casta.* *L'Edipo Tiranno.* =

Tom. V. *SEGUITO del Teatro Italiano. Par. ultim. La Morte.* = *Il Perseo in Samotracia.* = *Il Piato del H* = *A Re malvagio Consiglier peggiore.* = *La Rima vendicata.* = *Lo Starnuto di Ercole.*

—— *IL VERO PARIGINO ITALIANO. Dialogo.*

—— *DEL VOLO. Dialogo.*

—— *DEDICA al Senato di Bologna de'tre volumi del Teatro Italiano.* In hac Epistola rationem Martellius reddit, quare hæc volumina inscripserit *IL TEATRO*; *perchè*, inquit ille, *contengono tutte le sorte antiche e moderne dei Drammi in qualunque modo atti a rappresentarsi, cioè la Ditirambica, la Tragedia, la Commedia Eroica, la Popolana, la Tragicomedia, la Farsa, la Satirica, la Pastorale, la Marittima, e la Rappresentazione.*

Tom. VI. *VERSI E PROSE. Part. I.*

—— *DEGLI OCCHI DI GESU'. Poema.*

—— *IL TASSO, o della vana gloria. Dialogo.*

—— *MOR-*

—— *MORTE di Pò Cane Mormusse . Orazione .*

—— *SERMONI DELLA POETICA .*

Tom. VII. *VERSI E PROSE . Parte II.*

—— *IL COMMENTARIO .*

—— *IL CANZONIERE .*

—— *L'EURIPIDE LACERATO .*

—— *IL FIOR D'AGATONE .*

Hactenus Martellii opera impressa a Læiio a Vulpe .

RAGIONAMENTO di Mirtilo Dianidio (sic Arcades Martellium appellabant) *intorno allo stato degli Arcadi dell'anno* 1710. *fatto in adunanza nel Bosco Parrasio* . Extat in eo libro , cui titulus = *Raccolta di Prose Pastorali recitate in diversi tempi nell' adunanza degli Arcadi in Roma . Roma nella Stam. de' Rossi* 1762. *in* 8. =

VITA D'ALESSANDRO GUIDI . Edita est in tertio volumine *delle Vite degli Arcadi illustri* , impresso Romæ 1714. in 4. apud Antonium de Rubeis .

IL SECRETARIO CLITERNATE al Baron di Corvavara , di Satire libro . Cosmopoli al Grifo .

LETTERA all'Abbate Antonio Conti sulla di lui Tragedia il CESARE . Edita est cum hâc Tragædia Faventiæ an. 1726.

LETTERE FAMILIARI . Editæ sunt in eo libro , qui inscribitur = *Delle lettere familiari d'alcuni Bolognesi* = .

IL RENO PENSILE Favola Pescatoria Lucca 1761.

RADICONE ROMANZO . Canti III. in 12.

IL FEMIA SENTENZIATO Favola di messer Stucco a messer Gattabrighe . In Cagliari presso Francesco Anselmo l'anno del Signore 1724.

LA VERSAGLIE Poemetto .

IL NINO , e

GLI AMICI ; Drammi . Tria hæc postrema opuscula nunquam mihi videre contigit . Extare tamen mihi affirmatur . Non est tacendum quosdam putare scripsisse Martellium Carmina , quæ in Gobbiana collectione Theresiæ Zanæ tribuuntur . De Martellio certe loquitur carmen , cujus initium est = *Di quattro lustri &c.*

EDUAR-

EDUARDO CORSINIO. ANG. FABR. S.D.

Vitam Alexandri Politi reddet tibi cum his litteris Zacharias Tamburinius. Te vehementer etiam atque etiam rogo, ut eam perlegas, & quæcunque tibi videbuntur commutes. Nolo enim in lucem prodeat, nisi tu eam prius expenderis, adhibuerisque ei limam judicii tui. Facere hoc debes & pro tua singulari humanitate, & pro amicitia, quæ inter te & illum præstantem virum intercessit, & quod interest ad decus Ordinis tui, ne impolita exeant, quæ ad illum quoquo modo pertinent. Quæ quidem ni satis multa esse putarem ad excitandam operam tuam, obtestarer te quoque per amorem erga te meum, qui a prima adolescentia susceptus, sic cum ætate crevit, ut nulla fieri possit accessio. Omnia enim tua semper me delectarunt, sed maxime maxima fides in amicitia, vitæ gravitas atque integritas, homines juvandi studium, prudentia, modestia, facilitas, litteræ. Nec vereor ne assentatiuncula quadam gratiam tuam aucupari videar, cum hæc de te prædicem. Res enim commemoro in clarissimæ Provinciæ oculis, & in om-

omnium pene gentium auribus positas. Quapropter mirum tibi videri minime debet, si sic ardeo studio rerum tuarum, ut nihil magis optem quam eas Historiæ mandare. Utinam possem perinde ac tu mereris. Sed si plane non satisfecero immortalitati laudum tuarum, habebis saltem singularis observantiæ erga te meæ testimonium. Vale

Romæ Kal. *Febr. MDCCLXV.*

ALEXANDER POLITUS.



LEXANDER POLITUS Florentiæ natus est VI. Id. Quint. an. MDCLXXVIIII. Joanne Polito, & Victoria Manellia Civibus Florentinis. In iis studiis, quæ ab humanitate nomen habent, imbutus est a clericis regularibus Societatis JESU: Philosophiæ vero præceptores habuit homines Scholarum Piarum. Dici non potest quantum vel a prima pueritia litterarum amore flagraverit, ut præ illarum dulcedine non solum omnia alia oblectamenta abjiceret, sed etiam parum valetudini parceret. Studiosus audiendi ea loca frequentabat, quo convenire soliti erant docti homines, a quibus si quando sermo aliquis de litteris haberetur, attentas ille aures præbebat, neque prius discedebat, quam

quam ad finem ſermo eſſe't deductus. Quo vero expleret cupiditatem, quam habebat notitiæ clarorum doctrina hominum, ſcriptorumque ab iis librorum, ſæpe erat in bibliothecis; & quantum illius ineuntis ætatis patiebatur pudor, multa ex iis, qui illis præerant, quærebat. Dederat eidem natura ingenii vim, & quoſdam igniculos, quibus totus incendebatur ad gloriam, ad quam ut certius ac brevius perveniret, plurimum ſtudii Græca in lingua, uſus præceptore Jacobo Maria Ayrolo e S. J. viro non modo Græcis, ſed etiam Latinis, & Hebraicis litteris docto, conſumpſit. Intelligebat enim, qui Græce neſciret, aditum ad veram ſolidamque eruditionem patere nemini. Sunt hæc quidem in omni ætate laudanda, ſed in puero admirationem quandam habent. Tali modo exacto ætatis anno quinto & decimo, ſodalitatem Scholarum Piarum ingreſſus eſt; eoque tempore, quo tyrocinium poſuit, huic rei ſtuduit in primis, ut aliquos veterum Latinorum Poetarum illuſtraret, confecitque volumen obſervationum, quod dic avit Sigiſmundo Coccapanio, qui inter ſuos magnam auctoritatem habebat (præerat enim Etru-

Etruſcæ Provinciæ) & a quo non diligebatur ſolum, ſed etiam amabatur. Abſoluto tyrocinio, renovavit ſtudia Philoſophiæ : ſed haud ita multo poſt ab iis diſceſſit, ut Romæ operam rerum divinarum ſcientiæ daret. In hac cum profeciſſet non mediocriter, doctrinæ atque ingenii periculum fecit a. MDCC. plaudentibus primariis Ordinis viris, qui ad generalia comitia Romam acceſſerant. Hoc peracto, moderatores ei munus detulerunt publice docendi artem Rhetoricam; ſicque eam docuit aliquot in Etruriæ Collegiis, ut omnibus ſe probaverit. Nam non modo diſcipulis ſuis commonſtrabat viam, & ut fieri ſolet, digitum ad fontes intendebat, ſed ipſos manu prehendebat, ponebatque veſtigia quæ perſequerentur. Optaſſet ille quidem, ut omnes Latina cum Græcis conjungerent, utque pares evaderent in utriuſque orationis facultate, ſed cavebat ne plus exigeret, quam ſe aſſequi poſſe ſperaret. Hinc venit haud multos poſt annos ad Philoſophiam explicandam, ſectatuſque eſt, ut temporibus illis, Peripateticos, aliquo tamen rerum delectu habito, ut videretur ea quæ dictabat e fontibus

co-

eorum judicio arbitrioque ſuo hauſiſſe, non a Doctore aliquo ſumpſiſſe. Interim arbitratus eſt utile fore ſtudioſæ juventuti, ſi contraheret, & in anguſtum deduceret totam pene formam Philoſophiæ Peripateticæ. Itaque anno MDCCVIII. librum edidit his verbis inſcriptum = *Philoſophia Peripatetica ex mente S. Thomæ Aquinatis per breves Theſes ad Ariſtotelicam methodum explicata ab Alexandro a S. Sigiſmundo Florentino Scholarum Piarum* = Sed quæ hic coarctaverat dilatare poſtea aggreſſus eſt; eratque ei propoſitum, non ſolum nihil prætermittere eorum, quæ ad illuſtrandum illum Peripateticorum parentem Ariſtotelem pertinerent, ſed etiam omnia perſequi, quæ ab illuſtrioribus hujus disciplinæ ſectatoribus, ne Scholaſticis quidem exceptis, ſcripto mandata fuerant. Arduum ſane opus vaſtumque, ut ipſe appellabat, quod brevi e manibus depoſuit, ſeu quod eum voluntas, aut ſpes abſolvendi defecerit, ſeu ut diligentius præſtaret munus tradendæ rerum divinarum ſcientiæ, quod ei a. MDCCXII. demandatum eſt. Atque hæc facultas ſi non ſumma, haud vulgaris tamen erat in eo. Nam, ut docuimus, ado-

lescens haud parum studii in ea posuerat, nec ullo unquam tempore remiserat SS. Patrum lectionem; fungebaturque jam tum munere Theologi Cardinalis Medicei. In hoc quoque, non secus ac præstitit in Philosophia, sibi elaborandum putavit, ut totius Theologiæ summam uno volumine explicaret, quod volumen manu sua scriptum cum cuidam ex discipulis suis commodasset, hic reddere amplius noluit, impudentissime negans se accepisse. Profecto Politus tanta erat industria, tantumque evigilabat in studio, ut quo tempore totus erat occupatus in aliquo opere, non jam quæreret quibus rebus relaxaret ac remitteret animum, sed quibus aliis intenderet. Cum nullum illi igitur a legendo scribendoque vacuum tempus relinqueretur, potuit haud multorum annorum spatio meliora facere, quæ pene puer notaverat in Lucretium & Martialem, quem postremum ad incorruptorum quoque codicum veritatem exegit; multa scribere in Etymologicum magnum Andromachi, in Ethnica Stephani Byzantini, in Dionysium Halicarnasseum, præsertim corrigens interpretationem, quam ejus fecerat Husonius, & in Herodo-

rodotum, quem etiam in Latinum convertit. Atque hæc inedita. In vulgus vero anno MDCCIX. Latinam Orationem emisit, qua probabat breviorem longe esse optimarum omnium artium, quam humanæ vitæ cursum; ac triennio post librum *de Patria in testamentis condendis potestate*, quem conscripsit rogatu cujusdam nobilis viri, quemque instituit ad Salvinum Salvinium virum optimis artibus eruditissimum, ac secum familiaritate conjunctum. Materies hæc tota erat propria Jurisconsultorum, quorum arti cum ille nunquam studuisset, evenit quod accidere debebat, ut ejusdem Artis Antistites quidam ipsum male habuerint, & ex jure manu consertum vocaverint, quod in alienas possessiones tam temere irruisset. Sed ajebat ille, hanc scientiam omnibus patere; tuebaturque se testimonio Antonii, qui quanquam Juris prudentiæ minus se studuisse fateretur, tamen se non vereri dicebat, ne iis caussis, quæ sibi in jure defendendæ essent, satisfacere non posset, cum juris utilitas ad quamcunque caussam, quamvis repente vel a peritis, vel de libris depromi possit. Verum hoc erat leve & infirmum. Cu-

jus enim ponderis esse potest sententia illius de jure civili, qui se illud nescire confessus est? Adde, quod Antonius, ut idem postea testatus est, ea aliaque similia pronunciavit, ut refelleret (in quo nemo ei unquam præstitit) Crassum, qui non dubitaverat impudentiæ singularis eos condemnare, qui hac juris scientia nudati ad forum accederent, non ut ea exponeret, quæ ipse sentiret. Sed illuc redeo. Cum videret Politus a plerisque ita hanc artem tractari, ut eam indotatam, atque incomitatam, & incomptam esse sinerent, voluit ipsam in hoc libro verborum dote, & infinita pene eruditione locupletare & ornare. Sed in hoc peccavit, quod non senserit quid esset satis. Sint igitur in hoc libro præclara multa, nec levis est illa conjectura, quod insertus fuit in *Thesaurum* operum illustrium Jurisconsultorum, quod in Hollandia impressum est, sunt tamen haud pauca redundantia, nec sua quoque ei desunt absurda. Quare minime mirum esse debet, si in epistola quadam ad Ludovicum Bertrandum, in qua plura persequitur de ratione studiorum suorum, illum sibi excidisse conque-

stus

ſtus eſt. Magnum jamdudum ceperat Politum deſiderium conficiendæ ſibi Bibliothecæ, quam non modo utilem, ſed neceſſariam exiſtimabat ad eas res, quas apparabat. Igitur cum omnes vendemiolas ſuas eo conferret, feſtivam jam hoc tempore habebat librorum copiam, præſertim Græcorum; comparaveratque etiam quoſdam raros Manuſcriptos, quorum erat quam qui maxime intelligens. Ad hanc copiam augendam omni ferebatur cogitatione, quo factum eſt, ut omni ſtudio ſuos reddiderit Joannem Gibſonium, & Georgium Jachſonium Britannos, homines honeſtiſſimos, divitiis affluentes, ac litteratorum ſtudioſos & fautores. Quæ quidem res ei ſalutaris fuit. Nam ab iis multa adjumenta habuit non modo ad emendos libros, ſed ad inſtituendam quoque editionem ſui Euſtathii, de quo nunc dicemus. Conſtat inter omnes ex multis veterum, qui in Homero explicando, emendandoque operam ſuam collocarunt, unum excellere Euſtathium Archiepiſcopum Theſſalonicenſem, qui ſæculo XII. floruit. Hic enim admirabili judicio ac eruditione inſtructus, cum in unum locum collegiſſet

eximia quæque ac præclara, quæ in omni ætate notata fuerant in illum Epicorum Poetarum principem, descriptiones temporum, sacrorum jura, sacerdotum, domesticam, & bellicam disciplinam, sedem regionum, locorum, omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, caussas aperuit, plurimumque non solum Homero, omninoque & Græcis litteris luminis attulit & verbis. Sumpserat hunc Auctorem in manus Politus, nec satiari poterat in illo legendo. Qua de re cum sermonem aliquando contulisset cum amicissimo collega suo Juliano Sabbatinio, docto viro, qui postea Mutinæ Episcopus factus fuit: *quin tu*, hic inquit, *suscipis cogitationem curamque dignam virtute tua*, *ut*, *quod multi tentarunt*, *nemo perfecit*, *celeberrimum hunc interpretem in Latinum convertas*, *suisque locis illustres?* Huic ille: *Vellem equidem*, inquit, *præsertim te auctore*, *si mihi ullum tribueretur vacuum & liberum tempus*: *neque enim*, *occupata opera*, *res tanta suscipi potest*. Nihilo tamen minus Politus, qui magna semper spectavit, sibi experiendum censuit; & quantum sibi tribuebat otii

otii docendi munus ad Eustathium potissimum conferebat. Instituto jam opere, ecce Genuam mittitur [id fuit anno MDCCXVI.] ad tradendam e superiori loco rerum divinarum scientiam, moratusque in ea civitate est duobus annis, nullum diem abire sinens, quin aliquid laboris in suum Eustathium impenderet. Post hoc tempus reversus in Patriam, cum sibi initium requiescendi, atque animum plane vacuum ad sua studia conferendi concessum esse arbitraretur, casus molesti quidam intervenerunt, qui licet illum non removerunt a persequendo suo Eustathiano opere, multum tamen celeritatem illius absolvendi retardarunt. Id erat propositum Polito (& sane præstitit intelligentium judicio) ut non modo verbis plane Latinis sententias Eustathii converteret, sed quantum fieri poterat verbum pro verbo redderet, & genus omnium verborum, vimque servaret; quod eo difficilius fuit, quod habet Græcus iste sua verba & genera loquendi, quæ vix in rebus præsertim grammaticis quisquam intelligat, nisi sit in eo legendo studiose & multum volutatus. Illa igitur Politus se non solum tanquam

appendere lectori putavit oportere, ſed etiam, quantum res patiebatur, annumerare. Quod vero attinet ad illuſtrandum opus, id ille ſpectavit, ut omnia obſcura, quæque in aliqua parte difficiles explicatus habere poſſent, patefaceret. Quæ dum præſtitit, inſtituto ſuo vagatus eſt latius. Nam multa & varia tum Græcorum, tum etiam Latinorum ſcriptorum loca examinat atque judicat, & agendo partes modo Theologi, modo Geographi, modo Oratoris ac Poetæ, ſæpius Philoſophi, ſæpiſſime vero Grammatici voluit omnibus oſtendere lumen ingenii ſui. Huc quoque corollarium intulit quorundam animadverſionum, quas inter legendum fecerat Antonius Maria Salvinius, homo Græcis litteris adeo eruditus, ut nullius rei quæ quidem eſſet in his litteris, ignarus eſſe videretur. Cum hujus præclari operis fama non ſolum, ſed etiam ſpecimen quoddam ad publicum deveniſſet, avide illud exſpectabatur. Verum ſeu quod pecunia deeſſet Polito ad ſumptus faciendos in impreſſionem primi voluminis, quam ipſe ſibi aſſumpſerat, cum ceterorum imprimendorum onus ſuſcepiſſet Typographus Bernardus Pape-

Paperinius, ſeu aliud cauſſæ fuerit, habuit ſane longam moram hæc primi voluminis editio. Prodiit tandem an. MDCCXXX, deditque illi Politus patronum Joannem Caſtonem Magnum Etruriæ Ducem. Biennio poſt vulgavit ſecundum volumen, quod inſcripſit CLEMENTI XII, ſecutumque eſt tertium an. MDCCXXXV. Ludovico XV. Galliarum Regi dicatum. Hic hæſit res cum querelæ ortæ fuiſſent inter Politum & Typographum. Ille vero doluit ſemper, haud ſibi dari facultatem abſolvendi opus, quod certe immortalitas conſecuta eſſet. Nihilo tamen ſecius magnam ingenii famam collegit, & hic ſuus labor, ut in lucem venire cœpit, late illico dimanavit ad exiſtimationem hominum commendatione & judicio intelligentium. Quo factum eſt, ut ei anno MDCCXXXIII. delatum fuerit munus tradendarum litterarum Græcarum in Piſano Gymnaſio. In hoc ita ſe geſſit, ut omnes magis magiſque ſint admirati in eo excellentem Græcæ Linguæ cognitionem. Sed optandum erat, ne ſe adeo in litteras abdidiſſet, ut paullo faciliorem ſe præbere voluiſſet in admittendis domum, audien-

diſ-

disque scientiæ cupidis adolescentibus. Anno qui secutus est, rogatu Senatoris Ferrantis Capponii, vitam scripsit fœminæ sanctitate eximia Mariæ Angelæ Giniæ Florentinæ, quæ inter eas virgines fuerat, quæ suburbanum Monasterium incolunt, quod dicunt *S. Matteo in Arcetri*. Post neque ita multo ad docendam eloquentiam in eodem Gymnasio electus est, quod munus nemo post mortem Benedicti Averanii obtinuerat, ut gloriosum fuerit Polito ei viro successisse, qui magna eloquentiæ atque eruditionis laude non solum in Etruria, sed prope cuncta in Europa enituerat. Hanc provinciam ita ille sustinuit, ut studiosi dicendi adolescentes, qui ad eum audiendum frequentes conveniebant, non jam inanem quandam & nudam eloquentiæ speciem intuerentur, sed plenam & perfectam. Homo enim abundanti doctrina, & quadam incredibili varietate rerum & copia instructus, poterat facile eos fontes aperire unde non aliqua aquula scateret, sed universum flumen erumperet; qui quidem ita abditi sunt & retrusi, ut pauci doceant & teneant. Mos est a majoribus traditus, ut qui huic muneri præ-

præſunt in anniverſaria ſtudiorum inſtauratione, Latinam habeant Orationem ad excitandos inflammandoſque adoleſcentes ad laborem & laudem, cui quidem ſic ſatisfecit Politus, ut nomen diſertiſſimi Oratoris ſit conſecutus. Harum Orationum quaſdam ſeparatim edidit, duas in tertium volumen Euſtathii retulit, eaſdem octo numero in unum volumen collegit, quod Romæ a. MDCCXLII. edidit, ac BENEDICTO XIV. dicavit; atque has ipſas iterum cum aliis quatuor anno MDCCXLVI. Lucæ vulgavit. Sed cum ille videret adhuc a ſe tractata argumenta eſſe communia & pervagata, novum quoddam, & inuſitatum in medium proferendum putavit; ſumpſitque hoc ſibi, ut ſingulis Orationibus aliquam Etruriæ Urbem laudaret. Harum ſex fecit, quæ laudationes continent Piſarum, Volaterrarum, Aretii, Cortonæ, Saminiati ac Liburni; in quibus, admonendi ſunt Lectores, ne ut ab hiſtorico veritatem omnium laudatarum rerum exigant. Ut noſtrum vero de eloquentia Politi judicium proferamus, dico perbene illum Latine locutum, quamvis ſemper uſus non ſit Ciceronianis dicendi modis, nume-

roſum

roſum Oratorem, & volubilem, atque eundem & vehementem, & magna eruditionis copia inſtructum, qua non ad pompam utebatur, ſed ad illud apte & decore probandum, quod ſibi propoſuerat. Inter hæc Politus, cui nullum unquam tempus vacabat aut a legendo, aut a ſcribendo, animum ad varia & magna intendebat, quibus cum nominis ſui fama publicæ utilitati conſuleret. Ceteras res inter, quas vulgare meditabatur, erat opus, in quo a ſe illuſtrata collecta eſſent omnia Veterum ſcripta, quæ pro vera Chriſti Religione adverſus Gentes conſcripſerunt. A quo conſilio ſane laudabili qua de cauſſa diſceſſerit, latet. Fecit longiorem epiſtolam ad litteratiſſimum virum Joannem Lamium de uſu quadrigarum apud Veteres, quæ relata fuit in primum volumen operum Joannis Meurſii, quorum imprimendorum idem non ſolum auctor, ſed etiam adjutor fuit. In his quoque Meurſianis operibus locus eſſe debebat epiſtolæ, quam ipſe inſtituit ad Georgium Jachſonium, quaque defenſionem ſuſcepit Gregorii Nazianzeni adverſus eundem Meurſium. Hic enim ſanctiſſimum illum virum calumniæ

con-

condemnaverat quod ad ἀπληϛίαν, seu ut ipse explicat, ad quandam inexplebilem avaritiam traxerit, quæ ex Veterum, ac præsertim Herodoti & Plutarchi testimonio in contemptum divitiarum fecisse & dixisse videtur Solon. Sed cum sero, confecta jam impressione, venisset, latuit ad annum usque MDCCLIV, quo tempore eam Franciscus Gorius divulgavit. Nam locum ei dedit septimo in volumine *Symbolarum litterariarum*. Maxime vero Politum amore flagrasse in Eustathium hæc erunt indicio. Anno MDCCXXXIX. in vulgus emisit sane longam epistolam Latinam ad clarissimum virum Cajetanum Moniliam, in qua diligenter & erudite examinat locum Eustathii ex commentario Periegesis, ubi dicit ex quorundam sententia Tarsum non significare in sacra Scriptura urbem illam caput Ciliciæ, sed Carthaginem. Ostendit ille multis exemplis hoc verbum utrasque habere significationes, sed trahi ad Carthaginem non posse, nisi aut res, aut tempus, aut alia similis ratio suadeat. Strenue defendit S. Hieronymum, & Septuaginta Interpretes a nota erroris, quam iis inusserat Samuel Bocartus. Sibi

bi tamen in extrema epiſtola non temperavit a vellicando doctiſſimo hoc viro; ut & mordet eo loci Natalem Alexandrum, vocans illum alienorum ſcriniorum expilatorem. Proximo biennio edidit Genevæ Latinam interpretationem commentariorum Euſtathii in Dionyſium Periegetam, hancque Franciſco III. Magno Etruriæ Duci inſcripſit. In hac quoque re quidam ex veteribus elaboraverant, ſed inſcite admodum atque impolite, ut peregrinos atque hoſpites in lingua tum Græca, tum Latina plane ſe eſſe oſtenderint. E contrario Politus cum utramque perfecte calleret, potuit famam optimi interpretis ſuſtinere. Neque id ſatis habuit. Nam & duos libros confecit animadverſionum in eundem Euſtathium, & ipſum Dionyſium, in quibus antiquitatis, ſcriptorumque veterum ſe litterate peritum oſtendit; hoſque retulit in illud volumen Orationum, quod, ut ſupra docuimus, Romæ anno MDCCXLII. typis commiſit. Has eaſdem animadverſiones poſtea multo copioſiores elucubravit, eo conſilio, ut ederet cum ipſis Græcis ſcriptoribus, & his Latine a ſe redditis; nec non interpretationibus, quas Dionyſii

nysii fecerant Rufus, Festus, Avienus, & Priscianus. Parata erant omnia, cæptaque jam erat impressio, cum repente rem abjecit Politus, caussatus sibi pecuniam deesse, neque, quo manus porrigeret, suppetere. Meliorem exitum habuit opus sane magnum & arduum, quod de Martyrologio Romano edere instituit. Jamdiu Politus in ea cogitatione curaque versabatur, ut corrigeret quæ continebat menda Martyrologium Romanum; & huic rei in maximis suis occupationibus aliquid semper temporis impertierat. Hujus sui laboris fecit ipse mentionem, cum aliquando loqueretur de toto genere studiorum suorum cum S. P. BENEDICTO XIV. Romam enim anno MDCCXLII. venerat. Re audita, Pontifex eum hortatur, ne cui rei parcat ad ea perficienda, quæ instituerat: Utique fore magnæ laudi sibi, utilitatique Christianæ Reipublicæ. Hujus Politus voluntate cognita, alacrior ad rem gerendam factus, totum se & animo & corpore ad illam convertit. Anno igitur MDCCLI. primum operis volumen, quod Januarium mensem continet in lucem emisit. In hoc multa industria, & diligentia comparet, multa & doctrina. Reliqua

liqua contento curſu in vulgus proferre ſibi propoſuerat, in quo cum eſſet acerrime occupatus, accidit perincommode, ut ex caſu ſic ei læderentur brachium & manus dextra, ut iis uti non poſſet. Hac accepta plaga, non eſt credibile quam afflictum & fractum animum omnibus oſtenderit. Homini enim, qui nil magis optabat, quam omnem vitæ curſum in labore & contentione traducere, maxime dolebat ereptam ſibi eſſe ſcribendi facultatem. Vehemens hic animi angor maxime concitaſſe creditur apoplexim, quæ eum XV. Kal. Sextiles anno MDCCLII. corripuit, paucis poſt diebus quam Piſis Florentiam venerat, ut impreſſionem ſecundi voluminis Martyrologii urgeret. Ex vi morbi mortuus eſt VI. Kal. ejuſdem menſis veſpere, cum compleſſet annos LXXII. dies tredecim, e quibus in Sodalitate an. LVII. di. XVIII. exegit. Sic ei a ſuis Collegis juſta facta ſunt, ut omnes intelligerent magno apud illos in honore fuiſſe. Convenerunt quoque ad has exequias cohoneſtandas non pauci docti homines, qui cum Polito conjungebantur aut amicitia, aut muneris ſocietate, quod erant in Piſana Aca-

Academia liberalium artium Magistri. Mediocri fuit statura, corpore paullo pinguiori, viribus ad laborem ferendum firmis, facie rotunda, in qua suavis inerat color, acuta voce, oculis eminentibus & acribus, fulvoque ante caniciem pilo. Industria & solitudine videbatur ali, quare cum hominibus raro se consociabat, & adeuntes ad se licet admitteret, cito tamen iis se expediebat, quod in more quoque Petavio fuisse narrat Huezius. Mirum tamen, quod in senectute factus sit paullo facilior. In prospiciendo rationibus suis nemo illo solertior. Sic bonus erat custos & servator librorum suorum, quorum augendorum nunquam finem fecit, ut ab eorum usu quemlibet excluderet. Næ facilis, ac multus erat in conquerendo adversam fortunam, quod minime sibi darentur facultates, quibus studiis suis consulere, scriptaque sua edere posset. A contentionibus, quæ sæpe Litteratorum Rempublicam turbant, aversus fuit: Sua tamen scripta notari æquo non ferebat animo. Cum existimatione doctrinæ non solum apud Italos, sed etiam apud exteros magnopere floreret, potuit facile

S mul-

multorum doctorum virorum familiaritates sibi conciliare; inter quos honoris caussa nomino Antonium Magliabechium, Antonium Mariam Salvinium, Josophum Averanium, & Henricum Newtonium. Nec non a Principibus viris gratiam iniit. Siquidem CLEMENS XII. variis eum honoribus decoravit; FRANCISCUS III. Magnus Dux Etruriæ, quem nobilissima Latina oratione laudavit, munera satis larga ei dedit; BENEDICTUS vero XIV. post plurimas amoris ac beneficentiæ declarationes, illum eodem gradu esse voluit, quo ii sunt, qui supremum Ordinis Magistratum obtinuere. In hac tamen gloria, nominisque celebritate modestiam semper servavit. Idem instituta Christianæ Religionis, Sodalitatisque suæ non solum pure & caste, sed etiam diligenter & studiose coluit. Quæ quidem laus ceteras omnes vincit. Nam non aliud putare debemus esse Sapientiam, quam meminisse unumquemque quid sui officii & muneris sit, idque cum fide & integritate præstare.

OPE-

Opera Edita

PHILOSOPHIA PERIPATETICA ex mente S. Thomæ Aquinatis per breves Theses ad Aristotelicam methodum explicata ab Alexandro a S. Sigismundo Scholarum Piarum. Florentiæ an. 1708. *in* 12.

ORATIO ad Academicos Cruscanos habita in Collegio Florentino Scholarum Piarum ab Alexandro Polito ec., qua probatur, breviorem longe esse optimarum omnium artium, quam humanæ vitæ cursum. Florentiæ 1709. *in* 4. Hanc orationem secundo typis commisit Politus anno 1723, ut eam sociam daret alterius argumenti Orationi, quam conscripserat collega suus Ubaldus Mignonius.

DE PATRIA IN TESTAMENTIS CONDENDIS POTESTATE Alexandri Politi a S. Sigismundo Scholarum Piarum Theologi ad illustrissimum Dominum D. Salvinum Salvinium Patritium Florentinum, Florentinæ Academiæ Consulem amplissimum, Libri quatuor. Florentiæ 1712. *typis Regiæ Celsitudinis apud Jacobum de Guiduccis & Sanctem Franchi. in* 8.

EUSTATHII Diaconi a Supplicibus libellis & Oratorum Magistri, postea Archiepiscopi Thessalonicensis Commentarii in Homeri Iliadem. Alexander Politus Florentinus de Cl. Reg. Scholarum Piarum nunc primum Latine vertit, recensuit, notis perpetuis illustravit. Accedunt notæ Antonii M. Salvini V. Cl. Florentiæ an. 1730. *apud Bernardum Peperinium. In fol. Tom. I. Tom. II. an.* 1732. *Tom. III. an.* 1735.

VITA della Serva di Dio Suor Maria Angiola Gini. Firenze 1738. *in fol.*

ALEXANDRI POLITI de Clericis Regularibus Scholarum Piarum epistola ad Cajetanum Moniliam virum Clarissimum Florentiæ 1739. Edita iterum fuit an. 1740. hoc titulum præ se ferens:

CONFRONTO della Lettera Latina del P. Alessandro

Politi col ristretto della medesima stampato nelle Novelle Letterarie di Firenze n. 10 4. *Marzo* 1740. *In Firenze* 1740. *nella Stamperia di Pietro Gaetano Viviani*.

EUSTATHII Diaconi a Supplicibus libellis & Oratorum Magistri, postea Archiepiscopi Thessalonicensis Commentarii in Dionysium Periegetam, Alexandro Polito de Cler. Reg. Schol. Piar. Interprete. Coloniæ Allobrogum apud heredes Cramer & Fratres Philibert 1741. *in* 8. *magno*.

ORATIONES Octo Alexandri Politi &c. ad Academiam Pisanam. Ejusdem animadversionum in Eustathium ad Dionysium Periegetam libri duo. Romæ ex Typographio Paleariniano 1742 *in* 4.

ORATIONES duodecim Alexandri Politi &c. ad Academiam Pisanam. Lucæ 1746. *ex Typographia Philippi Mariæ Benedini*. Sunt hæ de multis, quas in eadem Academia dixit, orationibus veluti eximiæ ac selectæ, quæ ad rem præcipuæ Academicam, instaurationemque ejus anniversariam pertinebant. En singularum argumentum.

—— I. *De litterarum Græcarum necessitate*.

—— II. *De liberalium omnium artium ac doctrinarum ad eloquentiam necessitate*.

—— III. *De litteris humanioribus*.

—— IV. *De universo disciplinarum orbe*.

—— V. *De laudibus Lotharingicis & Mediceis*.

—— VI. *De optimorum studiorum assiduitate*.

—— VII. *De lectionis assiduitate*.

—— VIII. *De recto ordine studiorum*.

—— VIIII. *De humanarum disciplinarum ad Religionis Christianæ usum opportunitate*.

—— X. *De laudibus Academiæ Pisanæ*.

—— XI. *De laudibus Urbis Pisanæ*.

—— XII. *De nobilitate litterarum*.

In hoc orationum volumen relata est ejusdem Politi

EPISTOLA de tribus Martyribus Bononiensibus ad virum cl. Ubaldum Mignonium.

PANE-

PANEGYRICUS Imperatori Cæsari Francisco I &c. Academiæ Pisanæ nomine consecratus. Florentiæ 1746. ex Typogr. Petri Cajetani Viviani in 4.

PANEGYRICUS Volaterrarum Senatui Populoque Volaterrano consecratus. Pisis ex Typogr. Evangelistæ Pugli 1748. in 4.

PANEGYRICUS Liburni Senatui Populoque Liburnensi consecratus. Pisis ex eadem Typograph. 1749. in 4.

PANEGYRICUS Samminiati Senatui Populoque Samminiatensi consecratus. Pisis ex Typograph. Joan. Dominici Carotti 1751. in 4.

ORATIONES PANEGYRICÆ geminæ de laudibus Aretinis & Cortonensibus Alexandri Politi &c. opus postumum, utriusque Urbis Senatui Populoque consecratum. Liburni 1752. in 4.

MARTYROLOGIUM ROMANUM Gregorii XIII. jussu restitutum, Urbani VIII, Clementis X, & Innocentii XI. auctoritate recensitum, a Benedicto XIV. P. M. auctum & castigatum, Alexander Politus de Cl. Reg. Sch. Piar. commentariis suis post Cæsarem Baronium ad veterum librorum, historiæque fidem Pontificio jussu illustravit, & denuo recensendum atque castigandum Benedicti Papæ XIV. judicio ac censuræ subjecit. Florentiæ an. 1751. apud Petrum Cajetanum Vivianum. in fol.

EPISTOLA de curribus Antiquorum ad virum clarissimum Joannem Lamium, extat in præfatione ad I. volumen operum Joannis Meursii, quæ Florentiæ impressa sunt.

EPISTOLA in loca quædam Joannis Meursii: extat in libro cui titulus = *Symbolæ litterariæ, opuscula varia Philologica, Scientifica, antiquaria, signa, lapides, numismata, gemmas, & monumenta medii ævi nunc primum edita complectens, volum. VII. Romæ ex Typographio Palladis 1754.* =

ANTONIUS MARIA VALSALVA. *



Ntonius Maria Valsalva, si magnos Anatomicos inventis metimur, nemini sua ætate secundus fuit; si solertia, studio, labore, eximiaque humani corporis scientia, vix aliquos sibi habuit pares. Nam quicunque in ejusmodi judiciis, non, ut vulgus, fortunam, sed industriam potissimum, & hac partam rerum doctrinam spectare solent, hi si Valsalvæ vitam cognoscant, & ad ea quæ natura tribuerat, quot quantaque a pueritia ad extremum tempus adjumenta addiderit assiduæ exercitationis sciant, & quæ sive meditando, sive Medici, Chirurgique partes sustinendo, præclara ediderit signa excellentis cujusdam in re Anatomica facultatis, non ignorent, sane illa tempestate anteferendum ipsi neminem, perpaucos comparandos putabunt. Sed ab initio est ordiendum. Forum Cornelii, quod sequioribus sæculis *Imola* cæptum est nominari, in

* Iterum admonendos esse Lectores arbitramur, hanc vitam scripsisse v. cla. Joannem Baptistam Morgagnium.

in eo Cispadanæ Galliæ tractu, quem nunc *Romandiolam* vocant, urbs est imposita Æmiliæ viæ: qua ex urbe tum superioribus, tum nostris temporibus Viri extitere generis nobilitate, virtute, doctrina ornatissimi. In ea Antonius est natus anno Æræ Christianæ MDCLXVI. XV. Kal. Februarii, patre Pompejo Valsalva, matre Catharina Tosia. Familia Tosia inter Forocornelienses nobilis, in ea Matrona finem habuit. Paternæ autem stirpis initium olim, & agnomen fuerat ex Valsalva, quod supra Forum Cornelii erat castrum ad sinistram Vatreni fluminis. Nam verum quidem ejus stirpis nomen est Finia. Certe cum Tussignani esset, quod propter eundem amnem, sed aliquanto inferius est oppidum, id nomen gessisse, apparet ex diplomate in membrana scripto, quo strenuus miles Joannes Baptista Finius (is ex majoribus Pompeji fuerat) Alidosiæ gentis stemmate donatus est. Id stemma, si quod aliud, Forocorneliensibus notum propterea quia his Alidosii centum annis amplius imperitaverant, in vetusto apud ipsos Valsalvæ proavorum sepulchro insculptum visitur. Quibus, posterisque eorum

ſtirpis nomen, ut fit, obſolevit; agnomen ſervatum eſt. Antonii Parentes qua ipſi erant in Deum pietate, in homines comitate, eadem filium imbuerunt. Acceſſit cura & diligentia virorum, ſimul in conformandis primæ ætatis moribus, ſimul in litteris præmonſtrandis excellentium, Patrum e Societate JESU, quorum beneficium tanto pluris æſtimandum, quanto illi a gravioribus, in quibus ſumma cum laude verſantur, ſtudiis ad id officii ſe demittunt, cum pauci admodum, poſtquam ex ephebis exceſſerunt, videantur agnoſcere; memori ipſe quoad vixit, & grato animo eſt proſecutus. Erat in puero ingenium docile, acutum, aptum ad quaſlibet artes optimas, ſic tamen, ut ad quam potiſſimum ferretur, non obſcure ſignificaret. Gaudebat enim avicularum, aliorumque animalculorum diſſectionibus, eorumque exta curioſius, quam pro illa ætate, rimabatur: quam, ego præſignificationem, non in Veſalio (*a*) tantum, ſed in aliis quoque pueris fuiſſe ſcio, qui cum adoleviſſent, Anatomiæ penitus ſe dediderunt. Quibus rebus fiebat, ut de eo Paren-

(*a*) Vid. Freher Theatr. Viror. erud. clar. Part. 3.

rentes, Amicique bene ſperarent, atque adeo talem futurum confiderent, ubi Magiſtrorum acceſſiſſent præcepta, qualem & noſtrates, & externæ Scholæ ſuſpexerunt. Hac mente Bononiam eſt miſſus. Quod in Gymnaſium ut venit, non magis vetuſtate, & fama illuſtre, quam Doctoribus nobile, haud diutius quærendum fuit adoleſcentulo, mirabili diſcendi cupiditate flagranti, quibus ſe traderet erudiendum. Longe enim præſtabat omnes in philoſophicis diſputationibus, in herbarumque cognitione vir probitate antiqua præditus Lælius Trionfetti. Ab hoc utraſque doctus eſt. Ea autem quæ de Matheſi attigit, a Petro Mengolo, acutiſſimo & ſubtiliſſimo homine, itemque ab Geminiano Rondellio, qui faciliore fuit ingenio, & ad obſcura quæque Euclidis dilucide tradenda facto. At Rei Medicæ, & quod præcipue quærebat, Anatomicæ præceptorem habuit, qui iis temporibus principatum hujus ſcientiæ tenebat, Marcellum Malpighium. Ad hunc quoniam ob graviſſimas, quibus diſtinebatur, ſtudiorum occupationes, & diuturnos, quos ea requirebant, ſeceſſus, non ſemper aditus patebat, aliis etiam

tiam doctoribus utebatnr, in hisque Paullo Salano Medico, præsertim vero Joanne Galeatio Manzio Medico & Chirurgo experientissimo, nec non ceteris qui in magnis illis Valetudinariis sive medicaminibus, sive manu, sive etiam utrisque Medicinam faciebant. His omnibus operam dabat assiduus, impiger, laboriosus. Idem ubi de superiore loco a majoribus natu de iis, quas memoravi, facultatibus sermo haberetur, aut in contrarias partes disputaretur, audiendi studiosissimus. Idem in disputationibus quæ inter æquales haberentur, alias respondendo, alias contra ea quæ proposita essent, dicendo, exercitatissimus. Itaque tantum in illis omnibus progressum fecit, ut magna cum laude anno MDCLXXXVII. ab amplissimis Bononiensium tum Philosophorum, tum Medicorum Collegiis in albo Doctorum conscriptus fuerit. Sed posteaquam istam quam exposui, studiorum rationem animadvertit magna ex parte magis ad veri similitudinem, quam ad verum perdiscendum valere, se ipse reprehendit, & observationibus potius, ut Malpighius monuerat, quam disputationibus quære-

re

re abdita Naturæ constituit. Igitur ad eam, exercitationem, qua in ægrotantibus morborum notas, progressum, exitum, & remediorum vires diligenter attenteque adnotabat, alteram, adjunxit, ut in iisdem mortuis quæ partes quod vitium haberent, accuratissime perscrutaretur. Quoniam autem hæ quid ab recte se habentibus discreparent, intelligere non poterat, nisi qua ratione sint eædem secundum naturam constitutæ, cognitum penitus & perspectum haberet; persecare, & rimari quæcunque viscera, & membra cæpit, quæ sana quidem esse constaret; neque hominum modo, sed & ceterorum quæ nostra terra fert, animalium, siquod forte, ut haud raro usu venit, occurreret in quo clarior aliqua, & apertior structura esset. Ex structura enim actiones partium, atque utilitates, ex his autem significationes eorum quæ in ægrotantibus videmus, intelligi non dubitabat. Quamobrem ut facilius assequi illas posset, vivas quoque sibi dissecandas esse bestias, & multa ac varia in iis capienda experimenta animadvertebat. Hæ fuerunt caussæ cur iis potissimum studiis se daret, ad quæ natura etiam, ut supra docui,

docui, propenfius erat. Quanta autem induftria; affiduitate, contentione fe dederit, hæc funt teftimonia. Illo ipfo anno MDCLXXXVII. jam renem cani exfecare fciebat fic ut hic viveret. Quot autem five in canibus, five in aliis animantibus, cum viverent, pericula fecerit, aut quæ in occifis adnotaverit, quot hominum cadavera inciderit, quot in partibus aut quæ fecundum naturam funt, aut quæ contra fe habent, fit rimatus, cum prope innumeris in chartis fcripferit, non minorem tamen numerum confciis videtur prætermififfe, perfæpe medicis occupationibus impeditus, nonnunquam morbis prohibitus, quos neque paucos, neque leves ex iftis ipfis graveolentium corporum diffectionibus eo facilius contrahebat, quod cum reliquis vigeret fenfibus, ob incredibilem teterrimi odoris patientiam naribus tandem captus fuerat. Sed ea erat cupiditate, eoque ftudio per Anatomen proficiendi, ut quamvis acutis propterea conflictatus ægrotationibus, extremo in difcrimine fuerit primum anno MDCLXXXXII. iterum circa annum MDCC. quamvis antea ad tantam maciem, gracilis per fe juvenis redactus

dactus effet, ut accedente tufficula, & falfi ad fauces humoris defluxu, nemo effet Medicorum qui non tabidum mox fore metueret, nemo Amicorum qui non rogaret, fibi ut tandem parceret, inftitutumque periculofum dimitteret, tamen ne poft hæc quidem diffectionum finem fecerit; imo quotiefcumque occafio data eft, quo annis fuperioribus, eodem & infequentibus incredibili mentis ardore ad verum inquirendum actus, dies noctefque inter cadavera eft verfatus. Atque hoc loco non eft prætereundum quod vel tum fecerat, cum olfaciendi fenfu apprime uteretur. Eft enim ejufmodi, ut ex eo uno conjici poffint cetera quæ perpeti non dubitabat, ut fuo illi ftudio indulgeret. Ex fummo cadaveris femore exfecuerat quidquid longi dirique morbi fuerat fedes, exfectumque domum miferat, ut fere folebat, quo diligentius examinaret. Cum totus in eo effet, plerifque jam fatis infpectis, fubito in proximam urbem ad Viri primarii curationem accerfitus, quod reliquum erat in aquam, fubinde mutandam, conjicere, & in reditum differre cogitur. Serius quam fperaverat, Bononiam reverfus, nihilo-

hilofécius quæ reliquerat in manus fumpfit; neque antea pofuit quam plane intelligeret, fruftra fibi operam effe fumptam, nifi is nervus qui omnium eft craffiffimus, quomodo fupra infraque exfectam partem fe haberet, pro certo cognofceret. Quid faceret? Erat æftas fumma, tempeftas fervidiffima, dies autem jam decimus tertius poftquam cadaver fepultum fuerat. Aufus eft tamen de eo eruendo vefpillones appellare. Negantibus ceteris, vix unum blandis precibus, magnoque præfertim pretio exorat. Protrahitur luridum, informe, taboque diffluens cadaver. Graveolentia abfterritus intoleranda recedit vefpillo. Sed intrepidus accedit Valfalva: quæ vult inquirit ac perfequitur, nec abfiftit prius, quam fatis fibi fuperque faciat. Multa ego audivi, multa legi de Vefalio (*b*), de Ruyfchio (*c*), de aliis qui fupra quam credi poffit, Anatomen adamarunt. Incredibilia, cum effent juvenes, aufos illos, & perpeffos non nego. Hoc nego aut unquam, aut certe cum viri effent facti, nactique jam magnam in

(*b*) Vid. ejus Epiftolam de Rad. Chyn.
(*c*) Vid. ejus Adverf. Anat. Dec. 2. in fin.

in Anatomicis rebus, & Medicis, ac Chirurgicis ſcientiam, auctoritatemque pertuliſſe. Sic enim Valſalva diſſectionum fuerat ſtudio incenſus, ut cetera non omitteret quæ egregio in Medico, Chirurgove requiruntur. Quorum pleraque ſupra ſunt a nobis commemorata. Ad ea acceſſerat ſingularis cura in remediorum materia, eorumque natura, & facultatibus cognoſcendis: ob eamque cauſſam quæ cautiores prodiderunt Chymici, non neglexerat. Quibus in rebus ut facile, multumque proficeret, intima amicitia fecerat, quam adoleſcens cum aliquanto adultiore conjunxerat Petro Molinellio, quem multo doctiſſimum fuiſſe rerum illarum, vere videor poſſe contendere, neque minus expe rientem Medicum, & in optimi cujuſque Medicinæ Scriptoris voluminibus noſcendis æque ac perlegendis verſatum. Utebatur etiam intime Hippolyto Franciſco Albertino, qui in medendo ut ſagax, diligens, cautuſque fuerit, cum ejus Opuſcula (*d*), quamvis perpaucula ſatis oſtendant, hic nihil attinet docere. Hi, ſiqui alii, inter ſe, & cum Valſalva conjuncti, ut pleriſ-

(*d*) Vid. cum Bonon. Inſt.Sc. Acad. Commentar.

plerisque hujus intererant dissectionibus, sic vicissim suas cum eo animadversiones, observationesque communicabant; vel potius tres una easdem, iis quidem annis, instituebant, simul in Valetudinariis, simul domi illud omne tempus tribuentes studiis optimis, quod alii plerique juvenes in pravis, aut inutilibus consumebant. Etsi hæc, ut diximus, ita se habebant, tamen cum inter ceteras Valsalvæ exercitationes illa præcipue emineret, qua jam plerisque præstabat Medicis, Anatomia, effugere non potuit, primis illis temporibus, nonnullorum mistas cum laudibus obtrectationes, ut præclaris Viris persæpe accidit, qui aut Philologiæ, aut Mathesis, aut Rei Chymicæ, aut Herbariæ excellentem scientiam cum Medicina conjunxerunt, sed Anatomes in primis: quod usu evenit vel illi quem paullo ante nominavimus, Andreæ Vesalio, ad hunc modum describenti *pessimum*, ut loquitur Corn. Tacitus (*e*) *inimicorum genus, laudantes*. „ Si quem, inquit „ (*f*), aliqua ab ipsis ignorata cognoscere a- „ nimad-

(*e*) Vit. Agric.
(*f*) Epist. cit.

„ nimadvertant, illum quidem eorum peritum „ fatentur esse; ceterum (quod ipsi nomine „ tantum sunt) medicum esse negant; quasi is „ demum medicus foret, qui nihil minus quam „ medicus vere censendus sit: & perinde ac „ si absolutior in aliqua medicinæ subservien- „ tium disciplinarum diligentia, ad reliquam me- „ dicinæ cognitionem obesset. „ Quorum voculæ, non minus quid ipsi ignorent, quam in quo alii excellant, prodentes, cum parum ceteris, tum nihil Valsalvæ offecerunt: quin e contrario effecerunt, ut fama ejus magis in dies magisque cresceret, dissectionum autem accuratissimarum utilitas in Medico, Chirurgoque clarius eluceret. Illis enim fretus, primus Bononiæ in membrorum amputationibus, ad sanguinem compescendum, atrocissimum ignis auxilium rejecit; arterias obligavit; primus surditatem posse interdum manu curari, ostendit; primus chirurgica plura instrumenta, pluribusque ex partibus constantia, ad multo pauciora, & simpliciora contraxit. Cumque non tam ex aliorum commentariis, quam ex proprio, in re præsenti, judicio Chirurgiam exer-

ceret, hanc in ægrotantibus propemodum singulis, non ad certam quandam & immutabilem normam, sed ad peculiarem cujusque casum accommodabat: atque, ut maximi erat tum consilii, tum animi, celeriter quæ opus erant, & excogitabat, & perficiebat, manu æque promptus atque ingenio. Hinc illa quæ sæpe alii, & præstantes quidem Viri, frustra conati, in desperatis reliquerant, nova ipse arte, nec postquam vidisses difficili, confecit ex sententia; ut verissimum ei testimonium dederint Nosocomii Incurabilium Conservatores, cum mortuo posuerunt monumentum in quo scriptum est, apud eos quoque fuisse, & quidem *per V. lustra*, *Chirurgum miris curationibus beneficentissimum*. Magnus itaque in Re Chirurgica Valsalva fuit: nec minor in Medica. In hac ab illa; in utraque ab Anatomica summopere adjuvabatur. Quæ enim Medicus latentia curat, subinde haud alia sunt, quam quæ Chirurgus ante oculos posita, tumores, inflammationes, abscessus, alia istiusmodi. Vidisse persæpe aperta juvat ad abdita melius intelligenda. Sedem vero, & siqua indicia abstrusiora sunt, quid cer-

certius doceat, quam Anatome, quæ in qua parte quod viſcus ſit, & poſt certa ſigna quod vitium inveniri ſoleat, oſtendit? Huic acceptum referre decet quod Valſalva de præſentibus veriſſime judicaret; de futuris non minus vere conjiceret. Nam quo in viſcere, quave in hujus parte quæ eſſet labes, ſæpius ægro etiam tum vivo, pronunciavit; neque ea res illum fefellit. Sæpe etiam accidit, ut cum mortis cauſſam in cadavere quæſituri, aperire pectus inſtituiſſent, ipſe interveniens, cum quæ in vivente fuiſſent notæ, accepiſſet, afferri ſerram continuo juſſerit, atque intra calvariam id oſtenderit, quod pectore includi exiſtimaverant: contra, alias ut cum illam ſecare vellent, recludendum eſſe pectus, moneret; in hoc enim, ut reapſe mox invenerunt, ſuis ex receptaculis ſanguinem erupiſſe. Quarum prædictionum etſi Bononiæ illæ maxime pervulgatæ ſunt quæ in ſummorum Virorum diſſectionibus contigere, complures tamen pleroſque fugerunt, olim inter diſcipulos in Valetudinariis habitæ eadem ſcientia, minori gloria. Quod ſi vera eſt, ut ſane in morbis ſanabili-

bus plerumque eſt, Hippocratis (*g*), aut certe vetuſtiſſimi Auctoris ſententia, *Medicum qui ſuffecerit ad cognoſcendum, ſufficere etiam ad ſanandum*; poſt ea quæ expoſui, non neceſſe habeo referre, quot illi fuerint quorum cum jam nulla ſpes ſalutis relinqueretur, Valſalva in tempore vocatus, partim in priſtinum reſtituerit; partim ſi ab interitu prorſus retrahere non potuit, at hoc certe retardato, quoad licuit, ſervarit; partim inſtanti periculo ſæpius depulſo, longe plures quam ſperaverant, annos in vivorum numero ſic retinuerit, ut quam minime multa veſtigia graviſſimorum morborum manerent. Dederat autem præcipuam operam, uti in chirurgicis, ſic in medicis (quod utinam omnes imitaremur) ut qui morbi vulgo inſanabiles habentur, eorum attentius primordia vel per Anatomen obſervaret, ſi forte aliquos inveniret quorum aut initiis occurrere, aut augmenta intercipere, aut impetus tardare poſſet. Eaque in re quid præſtiterit, neque illuſtrius, neque felicius proferri a me poſſe exemplum credo, quam quod, ineunte ſæculo, princeps inſti-

(*g*) De Art. n. 20.

inſtituit, dilatationes intimarum arteriarum (ἀνευ-ρύσματα vocitant) priuſquam majores fiant, curare ea ratione, quam Albertinus (*h*), ejus, ut ante dictum eſt, ſtudiorum conſcius, tandem propoſuit annis ſuperioribus, ipſeque, & alii apud Bononienſes Medici ſuis deinceps ad eundem modum reſpondentibus experimentis comprobarunt. Talis cum eſſet, ſuis Valſalva dignam meritis famam eſt adeptus in doctiſſima Civitate. Jam tum juveni ſe, ſuorumque ſalutem crediderant Viri ſummi, alii litteris, alii dignitate, omnes genere, prudentiaque illuſtres. Ut crevit ætas, atque auctoritas, idem fecerunt multo plures, prioribus pares, nonnulli & majores, in his Thomas Ruffus, & Jacobus Boncompagnus S. R. E. Cardinales, quorum hic ſacris, ille etiam ceteris præerat Bononiæ rebus. Nobile erat Valſalvæ nomen, laus maxima; eaque erat omnium, Medicorum quoque, de illo opinio, ut magni ejus conſilium, magni ejus opera in rebus difficillimis æſtimaretur, nec ſolum inter Bononienſes, ſed etiam inter omnes quæ ejus

(*h*) Vid. Opuſc. cit.

opem expertæ ſunt, Civitates, Mantuam, Parmam, Placentiam, Ravennam, Forum Cornelii, & Livii, Faventiam, Ariminum, Fanum Fortunæ, Urbinum, atque alias, quo ad primarios viros, fœminaſque, ad Dynaſtas, ad Præſules, ad S. R. E. Cardinales, gravioribus implicitos morbis accerſebatur. Nam qui, atque unde conſultum venirent, aut ſibi per litteras auxilium peterent, nec facile, & poſt ea quæ retuli, ſupervacaneum eſt memorare. Quas ob res, ob editumque de Aure humana librum, quo de libro poſt dicemus, quam Bononienſibus carus, quam Exteris notus, quam utriſque admirabilis fuerit, indicio eſſe poſſunt quæ utrique & privatim, & publice in hunc contulerunt. Nihil ei detraxit inter illos viventi quod alienæ erat civitatis. Nam non modo, ut ſupra indicatum eſt, amplo Incurabilium Noſocomio Chirurgum præfecerunt, non modo Inclytæ Scientiarum Inſtituti Academiæ Præſidem iterum, ac tertium præpoſuerunt; ſed & multo antea alio in cœtu ad aliud munus admitti poſſe, magno omnes conſenſu cenſuerunt, non quod civis eſſet, ut lex jubebat, ſed

ſed quod ſcientia, & fama illuſtris eſſet, ut lex ſinebat: eſſe enim illud fortunæ, hoc virtutis. Quod vero non ad privatam, ſed ad publicam rem pertinebat; Civitatis ſalutem, & annonam ejus potiſſimum ſpectatæ fidei, peritiæque Senatus ampliſſimus commendavit, illam ſub initium ferme ſæculi, cum litteræ, & merces ex regionibus afferrentur nomine peſtilentiæ ſuſpectis, ne niſi rite perpurgatæ acciperentur; hanc duodecim poſt annis, quo tempore neceſſarium, ſiquod aliud, ad colendos agros animalium genus, boves communibus, & contagioſis morbis abſumebantur, ne latius horum vis ſerperet, & quoad ejus fieri poſſet, infringeretur. Neque tunc ſolum, quid de Valſalva ſentiret ſummus Civitatis Ordo præclare oſtendit, cum utrique illum rei præfecit, aut cum honorarium Anatomes Profeſſorem declaravit; ſed tunc præſertim cum anno MDCXCVII. tantum illi honorem habuit, ut unum ex omnibus delegerit qui in celeberrimo Gymnaſio & humanum corpus incideret, quod a plurimis antea quidem, & ab ipſo quoque, ſed nec quotannis, neque ex publico decreto factum,

& ſingulas inciſas partes, cum vellet, ex peculiari officio oſtenderet, additis apud Theatrum Anatomicum, illique attributis ædibus ad id officium aptiſſimis; quæ ante ipſum conceſſa fuerant nemini. Hæc Bononienſes. Cuncta autem Italia, atque adeo Europa quanti eum faceret, inde apparebat, quod ex eruditis Medicis Bononiam venientibus nemo erat qui ipſum videre, adire, alloqui prætermitteret, nemo qui cum vidiſſet, non id in præcipuis ſuæ peregrinationis fructibus poneret. Ex ceteris qui ire illuc non poterant, ut quiſque erat ingenii, & ſtudiorum fama clarior, ita alii epiſtolis ſaltem colere, alii miſſis quos vulgaverant, libris, alii cum inter docendum, aut ſcribendum de ejus inventis ſermo incideret, honeſtiſſima commemoratione præclarum de eo judicium patefacere non omittebant. Itaque etſi Bononia nunquam ille pedem extulerat, niſi aut eo quo diximus, medendi cauſſa profectus, aut cum ſemel Patavium venit, idque anno MDCXCVI. cognoſcendi cupidus, qua hic ratione eo tempore traderetur Anatomia, aut cum inſequenti anno Florentiam, anno au-

tem

tem MDCCXXI. Venetias se contulit, utroque Patriciorum Bononiensium gratia, quos ægrotantes consiliis adjuvaret suis; nihilo tamen secius nulla erat usquam docta Civitas, Gymnasiun nullum, in quo non æque ac Bononiensibus, esset notus, in quo sine dubio magnus intelligentium omnium sententia non haberetur. Qua constanti fama, & suo ipsa judicio, quod maxime facit auctoritatem, permota Regia Societas Londinensis dignum se, & præceptore Malpighio Anatomicum in suum numerum adlegit. Cum ceteri, cum etiam tam procul a nobis disjuncti hæc in Valsalvam conferrent, fieri non poterat, ut ipsum negligerent Forocornelienses sui. Nam etsi est hoc fere commune vitium in multis civitatibus, ut magna invidia magnæ gloriæ comes sit; tamen quædam sunt, & certe illæ nostræ sunt, fautrices suorum, seque eorum laude ornari, dignitate augeri, nec falso, arbitrantur. Talem se Valsalvæ Patria præbuit, summa ipsum omni tempore existimatione, summoque amore complexa. Itaque præcipuum ei honorem detulit, ut ex iis esset, qui nobili præsunt Magistratui Paci-

cificorum. Neque hoc contenta, majora obtulit, & ſuper hæc, honorarium publice dandum in annos ſingulos, ſi quidem ad ſuos remigraret. Ille etſi pius erat in Patriam, ut qui maxime, etſi talem de ſe opinionem civium ſuorum, benevolentiamque habebat cariſſimam, tamen, gratiis actis, eo beneficio uti noluit, non tam ne ſibi non conſtare videretur qui majoribus, & plura pollicentibus civitatibus negaverat, quam ne parum gratus adverſus illam a qua & doctrinam, & famam acceperat, & multis in ſe collatis honoribus ante fuerat occupatus. Credo etiam magis illud ſpectaſſe, ut ſapientem decebat Virum, & longe in poſterum proſpicientem, ſe caritati in Patriam inſervire melius poſſe, ſi in eo quidem morem Patriæ non gereret. Nam ſi paruiſſet, cives fortaſſe aliquos ex iis qui tum vivebant, ſervaſſet, paullo poſtea nihilominus interituros. Sed contra ea, ſi remaneret Bononiæ, ſe ſuæ videbat univerſæ Civitatis gloriam aucturum laude nominis, quoad ipſa, & litteræ eſſent, nunquam intermoritura. Idem majores, idem æquales clariſſimos Viros intuitos eſſe, & conſecu-

ſecutos. Neque enim Joannem illum quem *ab Imola* vocitant Juris conſulti, neque Alexandrum Tartagnum, neque poſt hos M. Antonium Flaminium, neque eum qui memoria noſtra floruit, Joan. Bapt. Zappium in Patria aut patronos, aut poetas agendo, ſed Patavii, ſed Bononiæ, ſed Romæ in magnis Gymnaſiis, magniſque in Urbibus docendo, ſcribendoque, illos in ſummis Legum Doctoribus, hos in eximiis Poetis, utroſque in maximis Fori Cornelii ornamentis eſſe habitos, atque haberi. Itaque domicilium quod ſibi ab adoleſcentia Bononiæ conſtituerat, ad extremum uſque tempus ſervavit, cum eoque facultatem ſtudiis obſequendi ſuis, quam in litteratiſſima, & frequentiſſima Civitate ſibi magnam dari, expertus fuerat. Bibliothecam quidem inſtructam habebat libris neque paucis, & ſelectis; qui præſertim ad Philoſophicam, ad Medicam, ad Chirurgicam, ad Anatomicam Rem attinerent. Tamen ſiqui forte eſſent præterea ſibi opus aliquando, erat ubi aut pretio, aut prece confeſtim, & facile compararet. Erant ibidem Amici & doctiſſimi, & conjunctiſſimi: quan-

quanquam juvenis amiſerat duos, Valerium Zanium Comitem, & Patricium, eruditione, prudentiaque, ſua tempeſtate, cum paucis, & Marcellum Malpighium, Anatomicum, ut ante dictum eſt, cum nemine comparandum. Zanius eum non ſecus dilexerat, ac filium: quod grato ipſe animo prædicabat, referens interdum pro re nata quæ a ſene graviſſimo acceperat, cum de Deo religioſe, de hiſtoria erudite, de moribus ſapienter, identidem ſecum pro intima familiaritate verba faceret. Malpighius autem, cujus perſæpe præcepta, & monita eodem animo commemorabat, alacritatem addiderat ornandi ſpartam medicam, atque anatomicam ſolertia illa, ac diligentia, quam in adoleſcentulo jam tum admiratus, quoad ſuperfuit, vel Romæ laudare nunquam deſtitit; quod ex ejus, & Pacchioni ad Valſalvam litteris perſpectum habemus. Sed illuc redeamus. Erant Valſalvæ apud Bononienſes, præter omne genus librorum, Amici plures eruditiſſimi, atque experientiſſimi. Erat magnus, ut in urbe ampla, & tribus præſertim non mediocribus Valetudinariis inſtructa, ægrotan-

tan-

tantium, & cadaverum numerus, ut & novas instituere, & inchoatas posset observationes perficere. Cujus rei nullam unquam occasionem prætermittebat, semper aliquid ejusmodi mente agitans, nec obvia tamen despiciens; velut cum in Valetudinariis ambulans, quasi aliud agens, jacentium decubitum aspectumque adnotabat, ex hisque tantummodo eorum periculum, atque exitum conjiciens, mox interrogando, & cetera tum, & deinceps animadvertendo experiebatur, falsam, an veram (id quod sæpius) conjecturam fecisset. Qua facili, siqua alia, & in medio posita, exercitatione se multum olim profecisse, confirmabat, ut sæpe vel in iis de quibus Medici securi fuissent, suspicari primus, nonnunquam & prædicere potuisset quæ minime fuerant expectata. Ad hanc, atque ad alias discipulos hortabatur exemplo suo; quorum copia, a longinquis etiam civitatibus, nullo ipsi tempore Bononiæ defuit: quæ haud scio an una ex præcipuis ibi permanendi caussis fuerit Viro, quamplurimos posse juvandi, & præclara studia propagandi cupidissimo. Et sane ex ejus Schola,

tan-

tanquam ex equo Trojano, complures prodierunt illustres Viri, quos nominare singulos & longum est, & siquem forte invitus prætercam, odiosum. Illud satis fuerit dixisse, eorum alios floruisse, & florere in Medicina facienda, alios etiam in tradenda, alios Archiatros, alios publicos Professores, alios munere utroque nobiles, nonnullos denique editis scriptis, si non illustres, at certe non ignotos. Neque hos solum, & quos itidem Bononiam, tanquam ad mercaturam optimarum artium, profectos, aut Amici, aut primarii Viri commendaverant, libenti animo erudiebat, verum etiam siquos cum paupertas premeret, ingenium, & docilitas sublevabant. Nec vero hoc semel fecit, sed sæpius; maxime in adolescentibus duobus, quos, laudatum in Fabricio ab Aquapendente exemplum (*i*) referens, cum famulos accepisset, Chirurgos, nec vulgares, dimisit. Sed & aliquot Obstetrices iis præceptionibus informavit, quibus faciles partus ex difficilibus redderent, in qua ipse facultate excellebat,

(*i*) Vid. Thomasin. Elog. illustr. Viror. Tom. 1. in Casserii Elogio.

lebat, nulla alia re impulsus, nisi ut per eas complures matres, filiosque servaret, utrosque corpore, hos etiam animo summum alioqui detrimentum facturos. Magna quoque capiebatur miseratione eorum qui morbis simul, & inopia conflictarentur, præsertim si honesto essent loco nati. Hos, medicinæ caussa accersitus, quibus rebus indigebant, ex sua re familiari, non modo ex sua arte, adjuvabat, solitus alioquin & apud ditiores hanc eo, quo utinam omnes, ingenuo animo & liberali exercere. Neque enim lucrum, sed suam existimationem spectabat, qua nihil, secundum Deum, habebat carius. Hanc in eo agi arbitrabatur, si quem morbum plane insanabilem esse sciret, ejus ut sanabilis curationem susciperet; item si in quo aliquid a remediis sperasset, his nequicquam usus, porro pergeret: quorum utrumque semper est abominatus; sed ægris, vel potius quorum intererat, admonitis, se quidem, cum per eos licuit, continuo subduxit. Erat utique in Valsalva cum summa humanitas, tum mira comitas: at polliceri quod præstare non posset, id vero non liberalis, sed

levis,

levis, atque adeo perfidiosi hominis existimabat. Idem in nitendo quod semel non sine magna ratione admisisset, tanta erat cura, atque constantia, nulli ut diligentiæ, & studio parceret, nihilque intentatum relinqueret. Nam etsi, ut cautum Medicum decebat, semper illud, sicuti in ejus quadam ad Principem Virum epistola est, Hippocraticum (k) spectabat, *ne quid noceret*, eoque simplicioribus, cum poterat, & tutioribus, & usitatis, neque multis adeo remediis uti consueverat; & plura tamen, & validiora auxilia non ignorabat, & in chirurgicis præsertim operibus magno, ut antea dictum est, erat animo, atque intrepido, nunquam tamen præcipiti, aut incauto, ut qui omnia quæ incidere possent, ante prospexerat: quanquam, etiam adversus nec opinata quo animo esset, tunc satis ostendit, cum in suis ædibus commentantem fulmen propemodum perstrinxit. Tantum enim ab eo absuit, ut animo caderet; continuo numquid forte alicui domesticorum fulmen nocuisset, numquod incen-

(k) De Morbis Vulgar. l. 1. Sect. 2. Vid. & Galeni Comment. 2. in eund. l.

cendii initium usquam reliquisset, superiores, inferiores, omnes partes ædium adeundo, sic quæsivit, ut si ipse, qui prope ambustus erat, nullo periculo fuisset, magis postea considératione discriminum quibus vita nostra obnoxia est, quam re præsenti perturbatus. Hæc Valsalvæ studia, hunc animum facies commendabat, alta amplaque fronte, nigris oculis ac vividis, decenti naso, ore parvo, labris rubentibus, cetera colore inter candidum, & rubicundum; sereno vultu, sed non sine gravitate; ad hæc, congruentibus membris omnibus, statura non magna, sed figura venusta; satis firmæ ad laborem ferendum vires; stabiles manus, eædemque, cum opus esset, promptæ atque expeditæ; corpus agile, nisi quod extremis sex septemve annis prægravante pinguedine tardabatur. Nam qui gracilis, ut supra indicatum est, ad virilem ætatem pervenerat, sensim deinde pinguescens, honestam primum dignitatem, sed postremo ultra modum obesus, molestiam, morbos, ipsamque adeo, quam & præviderat, & prædixerat, mortem est nactus. Principio, tussis qua annis quoque superioribus,

V sed

ſed remiſſius, vexatus fuerat, augeri, & cum tanta faucium ſiccitate ac ſiti conjungi, ut noctu præſertim magnam aquæ vim abſumere cogeretur: hinc noctu vigiliis urgeri, interdiu dormitatione: ad hoc, qui non multi cibi, vini autem vel minus multi fuiſſet, jam illum pene ſine modo appetere, aquam autem, ut dixi, vel præter modum. Ex his, ut morbus morbum parere ſolet, aut augere, pinguedo creſcebat; ſtomachus infirmabatur: itaque anno ante quam decederet, ad cetera incommoda ciborum vomitus a prandio acceſſit, noctu autem vehemens nonnunquam dolor laxioris inteſtini quod κόλον nominant; ut noctibus quatuor continentibus quaternas horas torqueretur. Hoc tamen morbo & alias fuerat olim cruciatus: qua re magis, quam difficultate ejus ab renum dolore internoſcendi, factum cenſeo, ut ex his ſemel laborans, ex eodem ſe inteſtino laborare crediderit, donec arenoſa urina alium eſſe morbum oſtendit, ſed inter initia perſæpe adeo ſimilem prioris, ut Galenus (*l*) quoque cum altero tentaretur, alterum eſſe, exiſtimaverit quoad

(*l*) De Loc. aff. l. 2. c. 5.

quoad usque dejectio humoris quem vitreum dixerat Praxagoras, errorem sustulit. Quo magis præceptum illud omnibus a Medicis servari debet; id quod Valsalvæ nocte intempesta non licuit; ne suorum ipsi morborum sint judices, cum duo summi Anatomici & Medici sic cavere non potuerint, ne alter in alterum errorem inciderent; cujus simplicem confessionem sibi uterque credidit convenire sive Hippocratis more (*m*), aliorumque, ut Celsus (*n*) ait, *magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium*, sive etiam, quæ mea omni tempore sententia fuit, quod longe majori laude ingenuitas digna sit, quam hallucinatio, præsertim ejusmodi, reprehensione. Sed ad postremos Valsalvæ morbos revertamur. Hi quorsum essent evasuri, jam plura antea indicia fuerant. Nam etiam inter consulendum Medici animadverterant somniculosum, nonnunquam & stertentem, sic tamen, ut cum responderet, non videretur dormivisse. Mihi vero non tam id displicuit, cum forte anno eo-

V 2 dem

(*m*) De Morbis Vulgar. l. 5. n. 14.
(*n*) De Medicina l. 8. c. 4.

dem MDCCXXI. consilia pro Fœminis primariis conferremus Venetiis primum, Faventiæ iterum, quam linguæ difficultas quædam in explicando sermone, levis illa quidem, sed mihi tamen, longo intervallo audienti, satis manifesta; ut ex eo tempore & vereri ipse, & Amicis prænunciare, quantumvis frustra, non destiterim quod anno accidit MDCCXXIII. prostridie Kal. Februarias. Nam cœnato, secumque, ut solebat, commurmuranti, & quasi aliquid commentanti repente os distortum quid immineret, domesticis præmonstravit. Admonitus, tantum adhuc aberat a mentis læsione, ut eos qui aderant, ne animo deficerent, neu perturbarentur, sed sibi ut quam quisque possent, opem ferrent, hortatus, accersitis Medicis, & Sacerdotibus, illis quidem ut sanguinis non una detractione contenti, rursus mitterent, si videretur, significaverit; his vero, Sacra ministrantibus, ea omnia religionis & pietatis signa dederit, quæ vitam anteactam decerent, donec graviore morbi vi, quem ἀποπληξίαν vocant, ingruente, eadem nocte vivere desiit. Sic Valsalva vix major septem & quinquaginta

ta annis natus, quo morbo liberaverat plures, & quo de morbo præclara animadverterat, eo ipſe morbo ereptus fuit. Elatus eſt, pro dignitate hominis, honeſto funere, conditusque in ſacra Æde quæ ab Divo Joanne in Monte Bononienſibus appellatur. Quanta omnium de vivo opinio, quantumque mortui deſiderium fuerit, vel ex monumentis cognoſci potuit, quæ ipſi intra eum, quo deceſſit, annum, aut certe non poſt multo, raro exemplo quinque ſunt poſita, ab aliis aliud, aliiſque verbis, ſed eadem omnia & laudis, & voluntatis ſignificatione: unum ſepulchro proximum, idque ab Æditimis, Canonicis Regul. Lateran., alterum, de quo ſupra commemoravi, in Noſocomio Incurabilium ab hujus Conſervatoribus; tertium, & quartum, adjecto ejus e nobili marmore ſimulacro, ſingulari opera atque arte perfecto, illud, Senatoribus auctoritate, & ſapientia præſtantibus quibus Inſtituti Scientiarum procuratio demandata eſt, id jubentibus, in magnificis ædibus eidem Inſtituto aſſignatis; hoc in celeberrimo Gymnaſii loco ab utraque Alma Univerſitate *Artiſtar.* quod potiſſimum, quoniam

ita factum atque exornatum est, ut quatuor de quibus in hac Vita exposuimus, Valsalvæ præcipua studia non minus inscriptis verbis, quam circum addita haud ineleganti pictura repræsentet; idcirco ære describendum, & cum hoc nostro Commentariolo conjungendum curavimus. (*) Novissimum, nec sine simulacro id quoque, Forocornelii in eo loco statutum est, quem in locum, si quid sibi in Patria accideret, Valsalva suum inferri corpus destinaverat, in Divi Dominici Templo, recens instaurato. Positum est autem ab uxore, fœmina lectissima, Helena Linia, pene una superstite familiæ suæ, apud Bononienses veteris, & Senatoriæ. Quæ quantum viro, dum hic viveret, obsequens fuerit, cura patefecit ejus voluntati vel post obitum satisfaciendi. Cum enim hoc illum sciret in animo habuisse, ut, se mortuo, sua chirurgica instrumenta omnia, quæ nec ita pauca erant, nec vulgari industria atque artificio fabrefacta, Nosocomio cederent Incurabilium; Academiæ autem Instituti Scientiarum suum Anatomicum Museum, cum ob alia, tum maxime

(*) Vid. in Veneta Operum Valsalvæ editione.

xime ob admirabilem illam, primamque omnium, universi auditus organi una in aure præparationem, a Viris etiam Principibus expetitum: cum igitur id sciret, nec prece, nec gratia, nec præmio adduci potuit, ut aliis quam quibus vir indicaverat, non jusserat, cuncta illa traderentur: tanti apud eam, viri quoquo modo cognita voluntas fuit. Hanc anno duxerat MDCCX. ex eaque liberos sex procreaverat, mares duos, fœminas quatuor. Sed virilem sexum non reliquit; in prima enim pueritia utrumque amiserat filium. Filiarum quoque ultima non diu patri superstes fuit. Vivunt reliquæ: Quarum priorem nuptum dedit mater Ludovico M. Montefanio Capraræ J. C. nobili civi Bononiensi: altera, & tertia solemniter vovere Deo virginitatem maluerunt. Has omnes Valsalva habuit heredes non tam magni patrimonii, quam maximæ gloriæ. Illi enim augendo, etsi indiligens paterfamilias non fuit, multo minus operam dederat, quam scientiæ, & virtuti, &, quæ harum comes est, laudi nominis amplificandæ. Inter omnes constat, qui ejus & mentem, & consuetudinem

 probe

probe cognitam habuerunt, multo eum maximam vitæ partem, ut verum inquireret, ac publica commoda promoveret, in diſſectionibus conſumpſiſſe. Namque in auris dumtaxat anatomia ſexdecim ipſos annos fuit, diſſectis ejus rei cauſſa humanis capitibus amplius mille. Hinc *Tractatus* extitit *de Aure Humana*, qui unus maxime apud Philoſophos, Medicos, atque Anatomicos Valſalvam illuſtravit, poſt Bononienſem editionem A. MDCCIV. apud Conſtantinum Piſarium, Trajecti ad Rhenum iterum A. MDCCVII. in officina Guilelmi Vandewater, Genevæ autem tertium A. MDCCXVI. ſumptibus Crameri, & Perachonii, a typographis deſcriptus, & tamen a multis jam annis in tabernis librariis proſtans raro adeo ut nunc quartum prodire debuerit, cum tres poſthumæ Anatomicæ Diſſertationes, novum aſſidui Valſalvæ laboris, atque induſtriæ ſpecimen, primum ederentur. De quibus, & de eo Tractatu cum illa huc addidero, quæ nulla ratione omitti poſſunt, finem ſtatim ſcribendi faciam. Diſſertationes Valſalva recitaverat in ea quam ſæpius memoravi, Inſtituti Scientiarum Academia,

mia, primam quidem anno MDCCXVI. Kal. Jun. alteram vero anno MDCCXVII. circiter Idus Decembris; tertiam denique anno MDCCXIX. item pridie Idus Decembris. In prima sermonem habuit de laxioris inteſtini Vinculis, de Sinibus Arteriæ Magnæ, de nervis ab Spinæ Medulla ad par Vagum accedentibus, deque Annulis tum Viſoris, tum Motoris oculi nervi moderatoribus. In altera de quibuſdam oculorum affectionibus, & ſecundum, & præter naturam, inque his poſterioribus de Suffuſione. In noviſſima de excretoriis Ductibus, atque uſu Renum Succenturiatorum. Gratia erat in pleriſque his rebus cum novitatis, tum vero etiam utilitatis. Itaque magno aſſenſu, & laude ab iis qui aderant, auditæ, mox fama apud ceteras Academias pervulgatæ ſummam omnibus editionis expectationem commoverunt. Nec abnuebat Valſalva: ſed illis valetudinis tardabatur incommodis, quibus, ut ſupra demonſtratum eſt, iis ipſis annis tentari cæperat. Icones erant conficiendæ, quæ cum prima Diſſertatione proponerentur. Neque enim tertiam ſcripſerat, quæ curam eandem requirebat, cum

(c) de

de edendis obſervationibus illis ſuis cogitationem ſuſcepit, nonnunquam animi pendens, an adjectis ad eas aliis, longe alio pertinentibus, omnia reſcriberet, decemque in capita digereret: quæ res ipſa quoque afferebat moram. Sed tertia addita Diſſertatione, hoc conſilium prorſus abjecit; & Diſſertationes ut recitaverat, ita cum Academiæ, cui tradiderat, Commentariis edendas ſtatuit. Dum horum editio neceſſariis de cauſſis diutius extrahitur, utrumque accidit eorum quæ in iiſdem ſunt a Viro Clariſſimo Franciſco M. Zanotto diſerte, ut ſolet, commemorata (*o*), ut ſuas Valſalva Diſſertationes, aliquid in his expoliendi, & perficiendi cauſſa, ab Academia repeteret, utque antequam redderet, ſupremum obiret diem. Secuta ſunt illa quæ ab Zanotto protinus ſubjiciuntur, vere, cum narrat, perhumaniter, cum exiſtimat, omnia ſcribente, judicium de me & Heredum Valſalvæ amicum, & tantæ Academiæ, honeſtiſſimum: miſſio ad me non modo earum Diſſertationum, ſed & chartarum Valſalvæ omnium, quæcunque ad ejus ſtudia atti-

(*o*) Vid. Titul. Anatomic,

attinerent, postquam & cunctæ ita ut ipse omnino volui, numeratæ fuerant, & singulæ obsignatæ; sic autem volui ob illas caussas quæ in earum chartarum restitutione afferentur, nunc facile intelliguntur: denique confectio Epitomes Dissertationum illarum, a me neque ita multo post, ad Academiam missæ, quæ cum ejus Commentariis (*p*) edita est. Quoniam vero in ea ad Zanottum Epistola qua illam sum quanta maxima potui, brevitate Epitomen complexus, esse caussas scripsi, cur Dissertationum editio mihi necessario esset in longinquum tempus differenda; quo in iudicio utinam deceptus essem; hic fusius exponendum est, quæ mihi, & quot difficultates obstiterint non tam in re perficienda, quam in consilio capiendo qua eam potissimum ratione perficerem. Chartæ fuerant ad me allatæ maximo numero, quædam inter se nexæ, fere omnes solutæ, aliæ ad aliam rem attinentes, pleræque autem ita scriptæ, ut sibi scribere occupati homines, memoriæ dumtaxat caussa, solent, imperfectis sententiis, interdum & verbis, nec sine compendiariis notis;

(*p*) Vid. Opuscula.

tis; nonnullæ etiam, diffugiente atramento, vix legendæ. Perlegi omnes labore improbo, quem tamen nota Valſalvæ manus & conſuetudo ſublevabat. Inter legendum, quæ prorſus inutiles viderentur, ſepoſui: ceteras, quæcunque aliquid haberent quod ad Diſſertationes, ad Tractatum, aut denique ad Anatomen quoquo modo attinere poſſet, certo ſingulas adſcripto numero mihi notatas, iterum ac ſæpius relegi donec quaſi indice ſeorſum confecto, quid in qua charta extaret, facile, cum vellem, & ſcire liceret, & reperire. Feci idem in Virorum doctorum litteris, quæ erant plurimæ, ad Valſalvam ſcriptis, ſiquam vidi ad ejus aut obſervationes, aut vitam illuſtrandam ex parte aliqua eſſe utilem. Sic tandem etſi plurima inveni quæ ad eorum diſſectiones pertinent, qui ex vulneribus, aut ex certis aliis quibuſve morbis interierunt, complures etiam obſervationes, & quædam experimenta, longe alio, magnam partem, quam quo voluiſſem, ſpectantia, quarum rerum omnium eæ quæ nunc uſum nullum habuerunt (nam multæ habuerunt) ut alias habeant, ſi vita ſuppetet, operam dabo;

bo; tamen quæ potiſſimum quærebam, ea multo fuerunt mea ſpe, & voluntate pauciora. Illud magis miratus ſum, vel quædam defuiſſe quæ olim mihi, atque aliis palam Valſalva dixerat ab ſe animadverſa, aut obſervata, ſive, quod malim credere, multa chartis committere prætermiſerat, ſive etiam interciderunt; ut certe exemplum intercidit ejus Tractatus ampliſſimis oris conſpicuum, in quibus videlicet poſſet, ſiquid addendum, detrahendum, aut mutandum videretur, commode adnotare. Cujus ego exempli hoc magis recordor, quod cum duo, haud amplius, ad eum modum facienda curaſſet, ſibi alterum ſervavit, mihi alterum continuo dedit, rogans ut idem in meo facerem, quod in ſuo ipſe eſſet facturus. Tale igitur ejus exemplum ut ſumma conquiri diligentia juberet, etiam atque etiam petere non deſtiti ab illius ſororis filio Fauſto Stagnio J. C. & Canonico Forocornelienſi, ſpectata in Avunculum pietate Viro, qui & chartas ejus omnes magna cum cura ipſe collegit, & quæcunque de ejus vita minus cognita mihi erant, miſſo bene longo, Italice ſcripto, commentario me do-

docuit. Cum in Stagnio, ea de re viciſſim a me admonito, non minor eſſet, quam in me, cupiditas exempli illius inveniendi; cum ſæpius non per alios modo, ſed per ſe ipſe quæſiviſſet, neque ullum pene quærendi finem feciſſet, illud nuſquam extitit. Qua de re hic commemorandum putavi, ut ſi unquam forte alicunde id prodeat, facile ab omnibus agnoſcatur, meuſque hic labor, Valſalvæ voluntate cognita, felicius ab aliquo ſuppleatur. Nam voluiſſe Valſalvam, ut in Diſſertationibus, ita etiam in Tractatu quædam mutare, alia tueri, vel ex ſchedis ipſius conſtat; quæ vero potiſſimum, & qua ratione, vix uſquam omnino conſtat. Una enim, haud amplius, charta eſt, in qua diſerte adnotaverat, quid & quemadmodum in prioribus dumtaxat paginis Diſſertationis tertiæ ſibi mutandum conſtituiſſet. Itaque magnum mihi onus laboris, atque officii ſuſcipiendum putavi, ut quibus de rebus in ejus Tractatu, & Diſſertationibus verba fiunt, iis de rebus primum quid alii & ante, & poſt ipſum in eandem, aut in contrariam ſententiam prodidiſſent, deinde quid ipſe, quid ego obſer-

servassemus, attento animo, & libero ab omni partium studio considerarem, ut sic denique conjicerem, quæ ipse sibi, si viveret, atque utinam viveret, tuenda, quæ mutanda posset existimare. Quæ omnia etsi neque brevis temporis fuerint, neque modicæ difficultatis, nihil tamen difficilius mihi accidisse, fateor, quam aut postrema illa conjicere, aut cum conjecissem, quod tandem mihi consilium capiendum, quidve faciendum, constituere. Nam cum alia essent, eaque plurima, quæ jure mihi laudari, & defendi posse; alia vero quæ aliquanto secus se habere viderentur: num propterea constare satis, crederem, illa eadem futura fuisse quæ Valsalva servaret; hæc eadem quæ deleret? Quid? si me aliquid fugeret; multa autem posse, confiteor. Quid? si observationes, quantumvis sæpe a me iteratæ, non ad eundem semper modum responderent: id quod in aliis, neque ita raro, accidisse animadverti. Num mihi nihilosecius tantum sumerem, ut quasi ipse Valsalva essem, quasi omnia quæ ille, perspecta haberem, quasi aliter atque a me, res nunquam ab eo potuissent,

aut

aut ab aliis possent inveniri ; in ejus Scriptis non omnia conservarem ; sed alia mutarem , alia tollerem ? Contra ea, hæ subibant animum cogitationes. Quid ? si ut mihi, ita forte aliis & videatur, & deprehendatur in his rebus. Quid ? si has ipsas Valsalva fuerat mutaturus. Num his conservatis, officio ipsi debito ? num veri studio ? num publicæ utilitati satisfaciam ? Simul veniebat in mentem, quam ipse fuisset veri diligens, ut verum semper consuesset rebus aliis omnibus anteponere, quantum esset veritus quidquam quoquo modo confirmare, quod, non dico num verum esset, dubitaret, sed tantummodo non per se sciret. Cujus animi specimen non unum dedit; sed hoc maxime, neque a me, neque hoc loco prætereundum. Censor fuerat ab Academia anno MDCCVI. constitutus cum Viro Clarissimo Joanne Antonio Stancario, ut mea Prima *Adversaria* Anatomica uterque ante editionem, quæ certis de caussis differri non poterat, examinarent, &, si videretur, approbarent. Cum Eustachius Manfredius, in cujus acerbo obitu magnam nuper Italia, non modo Academia, fecit

fecit jacturam, huic præesset, eumque Censores convenissent, hæc Valsalvæ sententia fuit: se quidem non dubitare, quin meas observationes qua consuessem, diligentia, & fide in perlectis Adversariis scripsissem; sed illud tamen non intelligere, qui sibi eas liceret approbatione sua confirmare, nisi ante singulas per Anatomen ad Partes ipsas exegisset, verasque esse comperisset; quæ res nec modici esset temporis, nec exigui laboris. Mirari hic Stancarius, obstupescere Manfredius. Ille vero, sic sum, inquit, ut videtis. Morgagnum diligo; sed verum magis. Itaque mihi stat non approbare, nisi spatium detur per dissectiones recognoscendi. Quid verbis opus est? Vix cessit, vix dedit tandem permotus manus postquam ab utroque factus est certior, non illud a Censoribus leges Academiæ postulare, sed hoc tantum, quod ultro fatebatur, non videri sibi quidquam esse in eo libro quod aut falsum esse sciret, aut alienum ab Academiæ institutis. Atque hoc Valsalvæ factum, Stancarii, ut oportuit, & Manfredii manu testatum, sicut eo tempore prope subiratus, juvenili animo, ta-

cite quidem, ſed non leviſſime tuli, ita nunc ſenex & probo, & laudibus effero: mentem enim unice oſtendit Viri, nihil, ſi opus fuiſſet, amicitiæ daturi, ſed huic verum, ut par eſt, conſtantiſſime antelaturi. Cum hæc ita eſſent, diuque animum modo in hanc, modo in illam partem diſtraherent; vix tandem me ab ea ancipiti cogitandi cura expedivi ea ratione ut parti utrique ſatisfacerem; ſed magnum ipſe ſuſciperem ſcribendi onus: quod, etſi me annos jam multos preſſit, leve tamen exiſtimabo, ſi ab æquis & intelligentibus Viris meum hoc conſilium non improbatum eſſe cognovero. Eſt autem hujuſmodi. Primo loco *Tractatum de Aure Humana* non modo iiſdem archetypis Tabulis quibus duæ poſteriores editiones caruerunt, ornatum, ſed talem omnino damus, qualis a Valſalva editus fuerat; niſi quod voculas aliquas, ſalva ſententia, interdum mutavimus, quæ contra ejus voluntatem, nobis longo uſu hac in parte probe cognitam, irrepſerant, quaſque adeo per ſe ipſe fuerat mutaturus. Sic etiam in contextum accepimus adnotatiunculam quandam ad num. VIII. Cap. V. jam tunc poſt-

quam

quam hoc Caput a typographis descriptum fuerat, sub asterisco, quando aliter non poterat, ipso jubente, in ora additam. Sic denique siquid præterea ab iisdem operis manifesto peccatum fuerat, emendare non omisimus. Tractatui posthumas *Dissertationes* subjecimus. In his sententiam nunquam, at verba sæpius, nec raro verborum quoque circuitum ea ratione, commutavimus, quam vel olim Valsalvæ ipsi maxime placere in conficiendo Tractatu, cognoveramus (*q*), perspicuam magis, quam cultam orationem, nec tamen omnino incultam probanti. Nihil addidimus, nihil prætermisimus, si quiddam excipias sub finem tertiæ Dissertationis, idque non de nostra tantum, sed etiam de utriusque Amicorum, hominum doctissimorum sententia: erat enim cogitatum inexplicabile, &, quod consequitur, plane inutile. Contra, in Dissertatione eadem quosdam locos ita restituimus, quemadmodum ipsum cognovimus ex charta, de qua ante dictum est, per se facere decrevisse. Insuper unamquamque Dissertationem in plures quasi articulos distribuimus, singulisque articulis & suum nume-

(*q*) Vid. ejusd. Tract. c. 4. n. 8.

rum præſcripſimus, & ad oras ſummulam adſcripſimus eorum quæ in quoque articulo traduntur: non quod harum rerum in ejus chartis ulla nobis inventa ſit; ſed quod in Tractatu illas omnes voluiſſe, memineramus; ut non videatur in Diſſertationum editione fuiſſe omiſſurus. Denique cura acceſſit conficiendarum Tabularum, earumque explicationum. Reliquerat ille quidem Figuras novem, omnes ad Diſſertationem primam attinentes; ſed aliam fere in alia charta, non collectas in Tabulas, non adſcriptis numeris, non inſcriptis litteris diſtinctas, non adjectis explicationibus illuſtratas. In uno dumtaxat folio quid in illarum quibuſdam pingendum curaſſet, preſſe & continuata oratione, quaſi memoriæ cauſſa, adnotaverat. Nos igitur in tres, quas Diſſertationibus interjectas edimus, novas Tabulas diſtribuimus, numeris, & litteris diſtinximus, hiſque reſpondentibus explicationibus ad ejus mentem declaravimus. Atque ut ille ab eodem quo ad Tractatus Figuras uſus fuerat, egregio Pictore Angelo Michaele Cavazzono pari & hujus, & ſua diligentia atque induſtria has quoque delineandas

cu-

curaverat ; ita & nos ut ab eodem , a quo primæ, laudato Scalptore Francisco M. Francia in ære insculperentur anno MDCCXXV. curavimus, nullis neque sumptibus, neque precibus, neque monitis parcentes, ut scalptura omni ex parte, summaque cum fide picturam sequeretur: cujus certe voti, excepto uno aut altero, de quo in explicationibus admonemus, loco, compotes fuimus. Hactenus quo consilio satis a nobis factum sit primis illis rationibus, expositum est: nunc quomodo alteris, indicabimus. Duodeviginti Epistolas scripsimus, quarum undecim ad Tractatum attinent, reliquæ ad Dissertationes. In utrasque autem conjecimus tum quidquid ad singula ex ordine capita, & rerum argumenta, in Valsalvæ chartis spectare, deprehendimus, quod bono in lumine collocavimus; tum quidquid ex anatomicorum iuventorum historia ad easdem res pertinere, intelleximus; tum quidquid de his iisdem rebus aut ad eundem modum, aut secus ab doctissimis Viris non modo olim, sed ad hæc usque ultima tempora scriptum esse, cognovimus. His omnibus nostras, quales eæ cunque

 sunt,

sunt, non paucas certe, neque indiligenter habitas observationes, & animadversiones adjecimus. Secundum has, ubicunque id facere, & quatenus facere licitum fuit, simul verum, simul Valsalvam defendimus. Siquando autem credidimus, utrumque simul defendi non posse; idem quod ipse ibi facturus fuisset, ingenue est a nobis factum, ut Valsalva excusato, & quoad potuimus, laudato, verum tueremur. Has autem Epistolas etsi una cum Valsalvæ Scriptis emittimus, non omnibus tamen scriptas volumus. Sunt enim ita cum iis conjunctæ, ut facile a Bibliopola sejungi queant. Itaque siqui eam de Valsalva opinionem habent, quam si ullo de homine habere liceret, de ipso in primis habendam faterer, nulla ut defensione egere, nulli ut suspicioni erroris obnoxium credant; ii poterunt in ejus Scriptis acquiescere, securi ceterorum. Qui autem illa eo sunt animo in manus sumpturi, ut siquid forte minus placeat, id reprehendant; hos vero etiam atque etiam rogatos volo, ut se tantisper ab eo judicio sustineant, dum illi Valsalvæ loco respondentem in meis Epistolis locum perlegant.

Sæ-

Sæpius enim aut ita defenſum, aut ita excuſatum invenient, ut aut nulla reprehenſione opus eſſe, intelligant; aut ſiqua forte, ea certe quæ cum aliqua tamen ſit laudatione conjuncta. Sicubi autem viderint, vero cogente, me ire in alia omnia, non continuo Valſalvam arguant; ſed ſic exiſtiment potius, idem illum facturum fuiſſe, ſi diutius vixiſſet, ſi ſpatio dato, plura obſervare, plura animadvertere, plura etiam legere potuiſſet: nam quamvis magnus illa tempeſtate Anatomicus fuerit, non ei tamen licebat quid a poſteris inveniendum eſſet, divinare. Simul eorum quæ ſupra dicta ſunt, veniat in mentem, fuiſſe ipſi in animo mutare quædam in Scriptis ſuis, fortaſſe illos eoſdem locos. Ad extremum, quidquid diſpliceat, me potius, & conſilium meum, non animum, reprehendant. Siquid autem forte a me felicius alicubi aut obſervatum, aut animadverſum, aut conſtitutum eſſe, crediderint, non mihi illud, ſed Valſalvæ ipſi acceptum referant: qui niſi me olim adoleſcentulum ad hæc ſtudia inſtituiſſet, niſi quærendo præiviſſet, obſervando præluxiſſet, nihil a me horum ſuſceptum eſſet.

NERIO CORSINIO S. R. E. CARDINALI

ANGELUS FABRONIUS S. P. D.

SI cui forte laude dignus videbor, quod ad Historiam scribendam me applicuerim, quidquid hoc erit laudis tibi, Cardinalis amplissime, referam acceptum, qui me adolescentem alia studia colentem, alia cogitantem ad hoc scriptionis genus vocasti. Placuit enim tibi onus mihi imponere, ut litteris mandarem res gestas summi Pontificis Patrui tui CLEMENTIS XII., *quod quidem licet majus esse intelligerem, quam ego ferre possem, recepi tamen, cum maluissem videri nimis audax, quam parum voluntati tuæ obsequens. Confeci ergo commentarios rerum illius præstantissimi Pontificis, eosque in lucem exire sivi, nihil reformidans criminationes hominum, quas multas fore videbam multis de caussis, sed ea præsertim quod non satis consultum tanti Pontificis memoriæ videbatur, quod ab eo illius historia tractaretur, a quo maturitas ætatis, & ingenii, scribendique exercitatio aberat.*

Sed

Sed qui ſemel timorem abjecit, eum bene & naviter oportet eſſe confidentem. Itaque vix a me ſatisfactum fuit promiſſo ac recepto, quo me tibi obſtrinxeram, cum ad alius Pontificis hiſtoriam contexendam animum traduxi; neque hoc contentus explicandas quoque ſuſcepi vitas excellentium doctrina Italorum, qui aut noſtra, aut patrum memoria floruerunt. Opus quidem magnum, quod plurimi his temporibus apud nos vixerint, quorum imagines exprimi maxime conducit ad Italiæ laudem, ejuſque Incolarum utilitatem; quodque neceſſe ſit in magna rerum varietate verſari, cum unus in una facultate, alius in alia excelluerit. Neque autem ego ſum ita demens, ut me tantum onus ſolum ſuſtinere poſſe putem. Itaque vocabo alios in ſocietatem laboris; nihil ſtatuam in referendis, perpendendiſque ſcriptis libris quod homines judicio eruditiſſimi prius non comprobaverint; eligam idoneos Ariſtarchos, qui, ſi quod erit animadverſum peccatum, corrigant; exquiram ſinceros & veridicos doctores, qui me de iis rebus, quas ſcire opus ſit, diligentiſſime faciant certiorem; & admonitores quoque non verecundos mi-

bi

bi parabo, qui me attentum teneant ad omnes Historiæ leges, præsertim cum scribendum erit de hominibus aut amicitia, aut aliis vinculis mecum conjunctis, ne amori meo plusculum quam concedit veritas largiri videar. His subsidiis spero non solum æquorum expectationi, sed etiam iniquorum invidiæ me satisfacturum. Tu interea, Cardinalis amplissime, habebis diligentiæ meæ signum in hac, quam ad te mitto, Cardinalis Ursii vita, a qua idcirco scribendi initium sumpsi, quia me tibi rem gratam facturum putavi. Explicat enim scripta, mores, consuetudinemque hominis illius, cujus commodis, ac dignitati sic favisti, ut plura a parente proficisci non potuerint; quique tantis erat tibi non solum beneficiorum, sed etiam amoris vinculis astrictus, ut nulla unquam fuerit amicitia conjunctior. Sæpissime mihi de hac amicitia cogitanti quærendum videtur, quid tantam amoris vim gignere, & continere potuerit. Cujus rei hanc unam caussam reperio, lumen scilicet virtutis, quod in utriusque vestrum animis elucebat. Profecto nihil est virtute amabilius, nihil quod magis alliciat homines ad diligendum; quapropter

cum

cum aliquem nacti sumus, cujus cum moribus et natura congruamus, quod in eo virtutem, bonitatemque perspicere videamur, exardescat oportet admirabilis quædam benevolentiæ magnitudo. Itaque dubitare non possum quin legens ea, quæ pertinent ad declarandos mores Ursii, tute ipse cognoscas, & reviviscat pristinus ille amor, qui inter vos fuit, si forte præpotens mors illum potuit imminuere. Neque in his libris hoc unumtui exemplar intueberis, Cardinalis præclarissime. Propositum est enim nobis, ceteras inter imaginem quoque exprimere Philippi Corsinii Patris tui. Cujus quantique viri! Is profecto ita vixit, ut omnes in eo sint admirati præstantiam in litteris, justitiam, fidem, probitatem, prudentiam, liberalitatemque. Est in manibus hominum Mexicana Historia, quam ex Hispanico in Italicum sic convertit, ut nihil fieri possit elegantius: extant quoque nonnullæ ejus orationes, sane nobiles, quas in doctorum virorum cœtibus dixit: nota sunt summa, quæ in eum contulerunt, honorum ornamenta Medicei Principes, inter quæ non illud postremum fuit, quod a Ferdinando II. electus fuit cum viro immortali memoria

moriæ Laurentio Magalotto, qui comitaretur ejus Filium Cosmum in itinere, quod is per Europam habuit. Credibile est quidem a tanto Principe carissimi Filii curam nonnisi iis fuisse concreditam, qui poterant illum ad omne eruditionis, virtutisque genus instruere. Sed de his alias. Tu fac interea, ut quando jam hoc tribuisti humanitati tuæ, ut nos nostraque studia suscipcres, tribuas idem constantiæ, ut suscepta tuearis ac foveas. Vale.

Romæ Kal. Maii MDCCLXIII.

JOSEPHUS AUGUSTINUS CARDINALIS URSIUS



Josephus Augustinus Ursius Florentinus, parentes habuit Josephum Ursium & Elisabetham Jannetiam, quibus etsi honos, ac jus Florentinæ Civitatis hereditarium, tamen non admodum ampla res familiaris erat. Ab his, quod integritate morum eminerent, quanta diligentia fuerit Josephus jam a prima ætate institutus, facile est existimare: Quantam vero is de se jam tum omnibus faceret expectationem, hoc erit testimonium. Quar-

Quartum agebat ætatis annum, cum ad Materteram, quæ in oppido S. Caſſiani, quod Florentia millia paſſuum octo abeſt, religioſum vitæ genus profeſſa fuerat, eum parentes adduxerunt. Erat eo loci eadem vita inſtitutoque aſtricta virgo quædam laude pietatis excellens e gente Paolſanta, quæ ut puerulum vidit, patri ominata eſt illum Romana purpura illuſtrem fore. Quod prædictum facile obtinuit fidem, non ſolum quia non ſine aliquo inſtinctu inflatuque divino factum eſſe putabatur, ſed etiam quia non levi confirmabatur conjectura. Elucebat enim in puero indoles ad virtutem magna, quæ ſumma omnia atque præclara portendere videbatur. Politioribus ſtudiis, ut primum per ætatem licuit, viris e Societate JESU magiſtris uſus, operam adeo diligentem, tantoque cum progreſſu dedit, ut induſtriam laudarent omnes, ingenium admirarentur. Nec minori laude, cum ſe ad Philoſophiam contento curſu tranſtuliſſet, in ea verſatus eſt, ſecutus Peripateticos. Tali modo quaſi gradu quodam, atque aditu ad ceteras facultates jacto, Piſas proficiſci meditabatur, ut ibi Juri Civili & Pontificio ſtuderet.

ret. Sed repente hoc consilium abjecit, ut se totum Deo voveret, eam putans esse præclaram beate vivendi & simplicem & directam viam, quæ vix rerum humanarum fluctibus alluatur. Itaque Fesulas ad S. Dominici Cœnobium se contulit, ibique IX. Kal. Martias anno MDCCVIII., cum ageret septimum & decimum ætatis annum in Prædicatorum Familiam cooptatus est, nomine sibi imposito Josephi Augustini, cum antea Augustinus Franciscus appellaretur. Annum ipsum cum tiro ita vixisset, ut facile prospicere Collegæ ejus possent, qui veteranus aliquando futurus esset, incredibili eorum omnium voluntate, suam Ordini, cui nomen dederat, perpetuo obstrinxit fidem. Florentiam inde missus ad excolenda in Cœnobio S. Marci rerum divinarum studia, tantam in his operam collocavit, ut ternas vel ad summum quaternas noctis horas quieti concederet. Præsertim vero his temporibus versatus est in legendis SS. Patrum operibus, cognoscendisque Historiæ Ecclesiasticæ monumentis; videbaturque jam ab adolescentia, perfectum quiddam atque absolutum hoc in genere attigisse. Ne-

que illud eſt prætereundum, quod nunquam ſe ad legendum conferebat, quin prius, ſecutus ſplendidiſſimum illud non modo ſui Ordinis, ſed etiam Catholicæ Eccleſiæ lumen Thomam Aquinatem, preces quaſdam diligenter adhibuiſſet. Quæ, aliaque multa ſinceræ pietatis ſigna cum effugere non poſſent oculos ſuorum, illud fiebat, ut non minori apud illos eſſet opinione ſanctitatis, quam doctrinæ. Non poſt multo quam Sacerdos eſt factus, ſuſcepit munus docendi; docuitque eodem in Cœnobio S. Marci Philoſophiam primum, ſatis quidem docte & perite; mox Theologiam tanta nominis ſui commendatione, tantaque auditorum frequentia, ut magna adhuc memoria ſit ejus magiſterii. Etenim non exſuccum quidpiam exhibebat auditoribus ſuis, ſed plenum ac perfectum, quodque argumentorum vi, variaque eruditione animos & veritate percelleret, & ſingulari voluptate perfunderet. Sed tamen adhuc Urſii fama exiguis continebatur finibus. Hi vero: multis poſtea ab eo ſcriptis libris, magniſque doctorum virorum de iis judiciis, ſic amplificati ſunt, ut ille non minus fuerit abſentibus, quam ſuis civi-

cibus cognitus. Eſt Florentiæ *Melani*, quod vocant, *Oratorium* ad S. Jacobi. In eo ſtatis diebus cœtus habebantur illuſtrium aliquot civium Florentinorum, cum quibus una adeſſe, deque divinis rebus, rectaque inſtitutione morum familiari ſermone colloqui unus aliquis conſueverat Cœnobii ad S. Marcum Alumnus. Id munus cum Urſio obtigiſſet, accidit ut aliquando ſermonem inſtituerit de mendacio, docueritque quam illud eſſet indignum non ſolum orthodoxo, ſed etiam honeſto quolibet homine. Cui e ſodalium unus: *Valde tibi aſſentior illud quod a te dictum eſt; ſed velim mihi perſuaderi, non extare, ut aliqui exiſtimarunt, & in his Carolus Ambroſius Cataneus, legem quandam hominum conſenſu ſtatutam, quæ verbis interdum omnem adimit ſenſum, ſic ut* eſt, *&* non eſt *deſinant eſſe notæ affirmationis & negationis, nihilque ſonent, quando ex proditione veri naſci oportet grave aliquod damnum, puta vitæ, rei, atque exiſtimationis*. Hanc ſententiam paucis tum verbis confutavit Urſius; ſed mox accuratius, & copioſius auctoritatibus, exemplis, & rationibus conquiſitis, oppugnandam putavit. Librum ergo confecit,

fecit, ediditque Romæ an. MCCXXVII. quo contendit legem illam ignoraſſe veteres Philoſophos & Eccleſiæ Patres, e quorum ſcriptis, ac præſertim Auguſtini multa ſumit, quibus in hac quæſtione teſtimoniis utatur: clara & illuſtria Martyrum exempla in medium profert, qui mortem oppetere maluerunt quam veritatem lædere: hoc exigere Dei Numen, naturæque rationem dicit, ut verba declarent animi noſtri ſenſus, propipereaque non eſſe in poteſtate hominum, excogitato materiali, ut vocant, verborum uſu, divinam hanc, naturalemque legem diſſolvere. Hæc aliaque hujuſmodi bono in lumine poſita, & haud impolite patrio ſermone explicata, ſatis multa eſſe putabat Urſius ad ſententiam ſuam propugnandam. Quoniam vero non defuere qui illa conati ſunt invadere, non dubitavit iterum in arenam deſcendere; editoque in vulgus altero libro, ut ſua magis magiſque confirmaret, & quæ contra dicebantur dilueret, excitatæ de ſe expectationi cumulate ſatisfecit. Sed non propterea alterius partis propugnatores ſiluere. Cumque horum neſcio quis epiſtolam vulgaſſet, quæ

maximam apud eosdem consecuta fuerat celebritatem, hanc continuo adortus est Ursius, opposuitque ei *Demonstrationem* quandam *Theologicam*, in qua est summa quædam continuatio seriesque argumentorum, ut aliud ex alio nexum, & omnia inter se apta colligataque videantur. Inter hæc siquid incurreret subsecivorum temporum, quæ homo, siquis unquam alius industrius, perire non patiebatur, id ille totum insumebat in actis martyrii Sanctarum Perpetuæ, Felicitatis, Sociorumque illustrandis, vindicandisque iisdem Sanctis Martyribus a Montanismi nota, quam Samuel Basnagius, plaudentibus Actorum Lipsensium Scriptoribus, illis inurere studuerat. Quod si laude dignos eos existimamus, qui scriptis suis a Platone, Aristotele, Epicuro, Solone, aliisque antiquitatis Philosophis criminum suspicionem propulsarunt; quanto magis prædicandus est is, qui non inanis ac falsæ, sed solidæ ac veræ sapientiæ cultores, propagatoresque eximios, & unde tot & tam præclara ad nos dimanarunt exempla virtutum, sibi defendendos sumit adversus inimicorum calumnias? Ursius igitur

tur librum elucubravit, ac typis commisit an. MDCCXXVIII. in quo firme, eleganter, ac copiose comprobat horum Martyrum orthodoxiam, omnesque contrarias Basnagii rationes labefactat. Cujus rei nullum certius afferre possum testimonium, quam quod iidem Actorum Lipsensium Scriptores non dissimile huic nostro de illo libro pronuntiarunt judicium *. In hoc ipso libro haud pauca disputantur contra Ruinartium & Doduvellum, qui negabant horum Martyrum Acta collegisse atque edidisse hominem e grege Montanistarum: deinceps disseritur de visis, qua in re illud Ursius ostendit, prioribus Ecclesiæ sæculis Deum illa sæpe sectatoribus suis dedisse ad occulta iis aperienda. Porro id caussa exigere videbatur, quoniam Basnagius non leve se arbitrabatur ducere argumentum, cur ii Martyres dicendi essent Montani hæresi contaminati, ex iis, quæ eosdem in somniis vidisse, atque prædixisse Acta narrant. Demum quasi quandam appendiculam in librum intulit, quæ Franciscus Castilionensis scripserat de vita, atque morte, quam pro vera Christi religione

Y 2 exeun-

* Supplem. ad nov. Act. Erudit. Tom. 2. sect. 12.

exeunte ſæculo xv. occubuit B. Antonius Pedemontanus, eaque notis illuſtravit. Sic enim ſe putavit de Cœnobio, in quo degebat, mereri optime, propterea quod Pedemontanus ejus alumnus fuerat; quodque tum ille, tum Caſtilionenſis fuerant S. Antonino Florentino Archiepiſcopo conjunctiſſimi, quem inſtitutorem ac parentem habuiſſe merito idem Cœnobium gloriatur. Vix dum opus illud perfecerat Urſius, cum aliud eſt aggreſſus, ut probaret adverſus Martenium, Lupum, Petavium, Juveninium, ac præſertim Albaſpinæum, Eccleſiam tribus primis ſæculis minime denegaſſe reconciliationem iis, qui eſſent capitalium criminum rei. Videtur Urſius orbem omnium peragraſſe Eccleſiarum, quæ ab Apoſtolis conditæ fuerant, aut quæ illarum erant ſoboles, ut ex earundem monumentis graviſſima certiſſimaque in eam rem ſumeret teſtimonia. Nec vero ignorabat iis temporibus fuiſſe quoſdam in Affrica, & in Hiſpania tantæ ſeveritatis in majoribus criminibus animadvertendis, ut iis, qui eorum culpa tenerentur, reditum in gratiam cum Eccleſia patere noluerint; ſed ajebat, unum aut alte-

alterum hujusmodi exemplum nihil valere contra morem & disciplinam, quam homines ab Apostolis acceperant, quaque docti fuerant, sic in sontes severitatem adhibendam esse, ut magnis condimentis lenitatis, ac misericordiæ mitigetur. Profecto in hoc libro Ursius se præstitit Theologum præclara, reconditaque eruditione atque doctrina. Cum vero non semel a re proposita, opportune tamen semper, digressus fuisset, ut tempora constitueret quibus aut Marcio in Ponto & Asia disseminavit Cerdonis errores, aut Tertullianus Montani sectator esse cæpit, librosque suos vulgavit *de Corona Militis*, & *de Pudicitia*, aut uterque Decius Urbem reliquerunt, aut Illeberitana Synodus habita fuit, tantam temporum scientiam ostendit, ut huic rei in primis studuisse videatur. Accidit interea ut Religiosi ii viri, quos idem sodales contubernalesque habebat, sibi de more constituere vellent Præsidem. Etsi permulti erant quos ætas, rerumque usus, & virtus, doctrinaque commendabant, unus tamen Ursius cunctis suffragiis electus est, cum vix octavum & trigesimum ingressus esset ætatis annum.

 Quod

Quod ubi intellexerunt amici, venerunt ad eum gratulatum. Ille vero valde suam vicem dolere dicebat, quod non satis virium ad hoc sustinendum onus haberet; quodque necesse esset plurimum detrahi studiis ac litteris suis. Quæ quidem indicio esse possunt, quam modeste de se sentiret, quantusque in eo esset doctrinæ amor. Sic autem muneri suo præfuit, ut omnes existimarent quasi lumen aliquod sanctitatis elucere omnes actiones, omniaque dicta ejus. Quanquam ita comparatus erat, ut magis exemplo quam verbis homines ad virtutis amorem accenderet. Eo tempore in familiam recepit Cœnobii Constantinopolitani nomine Thomam Mariam Mamachium, quæ res magnæ ei lætitiæ fuit. Nam præsentiebat quanto eidem familiæ is futurus esset ornamento; quo fiebat, ut uni huic maxime indulgeret, neque eum secus diligeret ac filium. In regendo Cœnobio licet omnem operam curamque ponere videretur Ursius, potuit tamen absolvere, quæ paullo ante inchoaverat *de Invocatione Spiritus Sancti in Liturgiis Græcorum, & Orientalium*. Fuit olim in Concilio Florentino magna Græcos inter & Lati-

Latinos disceptatio, num ad Eucharistiam conficiendam præter verba quæ Christus adhibere Sacerdotes docuit, necessaria quoque esset S. Spiritus invocatio. Affirmabant Græci, negabant Latini; postque diuturnam pugnam eum tandem res exitum habuit, ut illi convicti ac veritatis vi coacti errorem suum deseruerint. Sed non diu pax fuit, cum illum eundem Græci, facta secessione, instauraverint: quod ab illa Gente in Latinos jamdiu conceptum inveteratumque odium cogitanti mirum videri minime debet. Illud potius mirandum quosdam nostratum, & in his Ricardum Simonem, & Antonium Augustinum Tuetteum, hac ætate extitisse, qui pene in Græcorum abierint sententiam. Id ægre ferens Ursius eos confutare est aggressus. Confutationem autem sic contexuit, ut excutiat & explicet plurima Latinorum, ac præsertim Græcorum Patrum loca ac testimonia, libros præterea Rituales Græcarum & Orientalium Ecclesiarum, demonstretque minime ex iis confici posse, sicuti contendebant adversarii, easdem Ecclesias, tradita a majoribus disciplina, ita invocasse Divinum Paracletum, ut vide-

rentur in eo ponere abſolutionem perfectionemque Euchariſticæ conſecrationis. Diligentiſſime quoque is perpendit monumenta Concilii Florentini, quod cauſſæ ſuæ conducere arbitratus eſt; nihilque earum rerum omittit, quæ hunc librum perfectum, expletumque omnibus ſuis numeris & partibus efficere poſſint. Vix illum Urſius abſolverat, cum anno ſecundo poſtquam Cœnobio præeſſe cæperat, Romam a Cardinali Nerio Corſinio accerſitus eſt, ut Theologi locum apud eum teneret. Id illi pergratum atque jucundum fuit, quod vehementer ad ſtudiorum ſuorum rationem, naturamque ſuam, quæ prorſus ab omni præfectura abhorrebat, accommodatum arbitrabatur. Cardinali autem multis magniſque in rebus, eo præſertim tempore, quo ejus Patruus CLEMENS XII. Eccleſiæ clavum rexit, conſilio adfuit. Etenim ille neminem Urſio laude prudentiæ, fidelitatiſque anteferebat. Sed hoc in primis ad tanti viri laudem illuſtre fuit, quod idem Pontifex ſæpe eo non ſolum conſiliario, ſed etiam ſcriptore uſus eſt. Sunt in manibus quæ juſſu illius exaravit (minora ſilentio prætermittimus) ut probaret, potuiſſe

eum

eum jure privare Cardinalem Nicolaum Cosciam Archiepiscopatu Beneventano; utque ostenderet fas haud esse Regi adigere Episcopos, qui in ejus ditione sunt, ad *Homagii*, aut, nisi oppida ab eo accepta habeant, ad *Fidelitatis*, ut appellant, jusjurandum. His mandatis confectis, totum se convertit ad contexendas *Dissertationes Theologicas de Baptismo in nomine Jesu Christi; & de Chrismate Confirmatorio*. Noverat enim Theologos haud paucos fuisse sæculo superiori, & esse etiam hoc nostro, qui Baptismum ab Apostolis in Christi nomine nunquam fuisse datum defenderent, ac S. Thomæ contra sentientis opinionem nec veram nec verisimilem dicerent: Et illud quoque noverat, Samuelem Basnagium gravissimo captum fuisse errore, ut arbitraretur Chrismatis usum in Confirmationis Sacramento ignorasse Ecclesiam primis temporibus, & in eam a Valentinianis derivatum fuisse. Priores sic est adortus Ursius, ut sententiam Doctoris Aquinatis satis esse probabilem demonstraverit; alterum vero tam est graviter insectatus, ut plane convicerit impietatis. Quibus in rebus cum esset occupatus summa CLE-

MENTIS XII. voluntate factus est Cathedraticus Casanatensis. Vocantur autem Cathedratici Casanatenses duo ex Ordine Prædicatorum scientia clari viri, qui instituto Hieronymi Cardinalis Casanatæ e superiori loco mane quidem alter, alter vesperi statis diebus S. Thomæ *Summam* rei Theologicæ studiosis Romæ interpretantur. Ex quo factum est ut Ursius non solum honesto, sed etiam grato fungeretur munere. Ita enim erat in illum Doctorem animatus, ut omnes cuperet ad illius disciplinam adjungere. Interim Romæ nuntiatur, in Gallia typis impressam fuisse Bajanismi Historiam a Joanne Baptista Duschesnio conscriptam, hacque infamari Petrum Sotum hominem e Dominicana Familia præclarissimum, quasi ipse jecisset initia, & tanquam semina, unde errores Baii procreati fuissent. Id ut audivit Thomas Ripollius, qui eidem Familiæ præerat, Ursio mandavit, ut libro falsas Duschesnii accusationes refelleret. Quod quidem illi facile fuit. In promptu enim habebat, quæ Pontifices MM., Tridentina Synodus, Cardinales, Episcopi, Principes, Scriptoresque magni nominis Soto impertierant præconia ac testimo-

ſtimonia hominis pietate, ſtudio Catholicæ Religionis, fide, integritate, atque doctrina præſtantiſſimi. Quæ poſtquam collegit Urſius, tranſit ad examen librorum, ac præſertim *Epiſtolaris Diſſertationis cum Ruardo Tappero de conciliatione gratiæ, ac liberi arbitrii*, neque ullum eſſe in iis locum probat, ex quo jure meritoque Soto conflari invidia poſſit, contra vero eſſe multa, quæ plane adverſantur erroribus, quorum illum Hiſtoricus inſimulaverat. Neque ſolum pro aliis, ſed etiam pro ſe ipſo his temporibus pugnavit Urſius. Etenim Droiinius impotentis ingenii Gallus adeo in illam, quam paullo ſupra memoravimus *de Baptiſmo ec.* Diſſertationem ſtylum acuerat, ut non tam eam refellere, quam in ejus auctorem furere videretur. Huic Urſius ſic reſpondit, ut ſe injuriis prorſus abſtinuerit, nihilque aliud egerit, niſi ut oſtenderet omnium pene temporum memoriam ſententiæ Doctoris Aquinatis ſuffragari videri. Hæc atque alia (nam edidit quoque Latinam Orationem de laudibus B. Catharinæ de Ricciis) quæ ad hæc uſque tempora typis mandaverat ingenii monumenta, magnam illi

famam confecerant, ut jam videretur in Theologorum numero, qui Romæ florebant, principem locum tenere. Itaque nemini dubium erat brevi illum in amplissimum dignitatis gradum collocatum iri. Ad hunc primus illi ascensus fuit an. MDCCXXXVII. quo tempore a CLEMENTE XII. factus est a Secretis illius Magistratus, cujus munus est interdicere lectionem librorum, in quibus se se prodit scribendi licentia, nequid Christiana Respublica detrimenti capiat. Occupato hoc honoris loco, primam habuit curam Ursius, ut Pontifici optime de se merito, Ecclesiæque voluntatem studiumque suum magis magisque declararet. Cujus rei amplam eidem occasionem dedit opus illud Jacobi Benigni Bossuetii, quod jussu Ludovici XIV. ad propugnandam notam *de potestate Ecclesiastica Declarationem* a. MDCLXXXII. in Comitiis Cleri Gallicani editam conscripserat, quodque Episcopus Trecensium ejusdem Bossuetii Fratris Filius, mortuo jam Auctore, anno MDCCXXX. Luxemburgi typis imprimendum curaverat. Auctoris celebritas, ubertas, varietas, copia argumentorum, quibus idem evincere nitebatur jura Sedis

Apo-

Apoſtolicæ in definiendis Fidei controverſiis ſuis contineri finibus, iiſque non admodum amplis, illud effecerant, ut permulti eſſent tum apud Gallos, cum apud Italos qui palam dicerent, Boſſuetium illorum jurium defenſoribus non modo ſpem victoriæ, ſed etiam voluntatem defenſionis abſtuliſſe. Quod judicium falſo prolatum fuiſſe ii intelligent, qui legent libros Urſii, quibus ſe ſe illi Scriptori oppoſuit. Profecto fortiter is cum tanto adverſario bellum geſſit. Nam omnia quæ conferri poterant, in illum contulit tela; contraria ſic excepit, ut pleraque leviora atque hebetiora eſſe oſtenderit, ac multa in ipſum adverſarium retorſerit; & ſiqua res fuit quæ premeret vehementius, non modo non abjecit, ſed ne rejecit quidem ſcutum, ſic ut nunquam ceſſiſſe, contra ſuperiorem ſemper diſceſſiſſe haud injuria a doctis quibuſdam viris judicatum fuerit. Longum eſſet de omnibus rebus, quæ in his libris continentur dicere. Itaque dixiſſe ſufficiat: Urſium tribus prioribus voluminibus, quæ ſunt *De irreformabili Romani Pontificis in definiendis Fidei controverſiis judicio*, multa enucleaſſe ſacrorum librorum, Patrum,

trum, aliorumque gravissimorum scriptorum loca, ac multo plura exposuisse Conciliorum decreta, ut ostenderet, Ecclesiam ab ultimis usque temporibus consensisse (mirum putasse Bossuetium ex Ecclesiæ consensu se quoque maximum caussæ suæ præsidium petere posse) de hoc *irreformabili judicio*: Postremo vero operis volumine, quod inscribitur, *De Romani Pontificis in Synodos Oecumenicas & earum Canones potestate* æque firmiter ac copiose probat, Romanos Pontifices minime Conciliorum legibus, sed has illis subjectas esse. Ad hæc addi quoque illud potest, eundem multas in his libris collegisse rationes ac testimonia ad refellendos viros doctissimos Antonium Arnaldum, & Petrum de Marca, quorum alter acerrime propugnaverat haud posse revocari in dubium vim, auctoritatem, pondus decretorum Concilii Constantiensis; alter novam proposuerat rationem conciliandi conjungendique libertatem suffragiorum, quam in Œcumenicis Conciliis Episcopi habere debent, cum summa Pontificis potestate. Pontifici enim eas tantummodo partes dabat, quas Romani Imperatores in condendis

dendis Senatus Consultis obtinere solebant. Sic Ursius magna doctrinæ & eruditionis copia cum demonstrasset, nullis posse terminis definiri jus Romanorum Pontificum in præscribendis, vel declarandis iis rebus, quæ ad Religionem pertinent, aliud sumpsit opus in manibus, quod non minorem & sibi laudem, & Christianæ Reipublicæ utilitatem peperit. Historiam Ecclesiasticam, quam Gallice scripserat Claudius Fleurius, nescio quis in Italicum converterat, & Venetiis typis imprimere instituerat. Id ut Romam allatum est, quod detrimentosum esse existimabatur (nam multis in locis scriptor ille animum haud mediocriter juribus Romanorum Pontificum infensum patefecerat) si in omnium manus illa perveniret, quæritur quid facto opus sit. Consulentibus Ursius respondit, dandam esse operam, ut cæpta impressio intermitteretur; quo vero Italorum utilitati ac decori prospiceretur novum opus conficiendum. Hoc consilium majori parti cum placuisset ille rogatus est, ne graveretur hoc in se onus suscipere. Tum ille: intelligere se se quanti res esset operis ac laboris; hoc tamen esse in Christianam Rempubli-

publicam animo, ut nihil ejus caussa recusaret. Hac re constituta, nullam interponendam esse moram putavit quin ad eam conficiendam se pararet. Quanquam non multis ille egebat adjumentis. Habebat enim insculpta in animo monumenta temporum, locorum, hominum, gestarumque rerum; mirabilis in eo erat cognitio Conciliorum ac Patrum, in quibus legendis omnem triverat ætatem; judicio acri & recto præditus erat, ut posset non solum consilia, acta, & eventus rerum ordine declarare, sed etiam tuto ac vere exponere quid probandum rejciendumque esset. Siquid eum deficiebat erat perfecta Etrusce scribendi laus, ad quam obtinendam omne suum studium convertit. Nam optimos scriptores diu noctuque legendo, e quibus germana quædam locutio exurgere solet, nativum illum colorem, quo sermo Etruscus imbuitur, mirifice expressit. Ut vero stylum exercitatione acueret, libros quos Latine *de Pontificis Maximi irreformabili judicio, potestateque* fecerat, patrio sermone in epitomen contraxit; aliudque opus pariter Etrusce conscripsit, in quo originem subtexuit dominatus, quem habent Pon-

Pontifices Maximi in civitatibus atque oppidis, quæ olim ad Romanam Provinciam, & Exarchatum Ravennæ pertinebant; & ex quo perspici potest, quam eximia fuerit erga eosdem Pontifices liberalitas ac studium Gallorum Regum Pipini, & Caroli Magni. Sic Ursius cum continuis se frangeret laboribus ac vigiliis, cæpit incommoda esse valetudine. Cujus rei caussa cum sibi aliquandiu a severioribus studiis temperare coactus fuisset, ne prorsus tempus amitteret, dedit se convertendis e Gallico in Italicum vitis primorum Discipulorum S. Dominici, virorumque aliorum illustrium Ordinis Prædicatorum, quas eleganter explicaverat Antonius Tourronius. His studiis atque exercitationibus consecutus est Ursius genus orationis fusum atque tractum, & cum lenitate quadam æquabili profluens; scribendique elegantiam adeo suam effecit, ut bene multas conderet Historiæ suæ paginas dulces atque nitidas, quin aut in scribendo hæreret, aut necesse haberet verbum ullum mutare. Quo factum est, ut cum anno MDCCXLVII. primum edidisset ejusdem Historiæ volumen, avide illud omnes

nes arripuerint, ac Florentina Academia, cujus omnis cura verſatur in excolendo puro & caſto Etruſce ſcribendi genere, grave teſtimonium Auctori impertierit elegantiſſimi ſcriptoris, & illum inter ſuos cooptaverit. Præſertim vero laudibus elata ſunt, quæ præfatus eſt de ratione Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ conſcribendæ, quæ quidem oſtendunt non modo perelegantem ſcriptorem, ſed etiam doctum, & in primis eruditum. His ille rebus alacrior factus ad inſtitutum opus perſequendum, ita illud urſit reliquo vitæ curſu, ut neque corporis imbecillitas, neque ingraveſcens ætas, neque dignitates, quibus deinde auctus eſt, neque onera, quæ has comitabantur, induſtriam illius retardaverint. Nam a. MDCCXLIX. factus eſt a BENEDICTO XIV. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter; & decennio poſt, ſtudioſiſſime inſtante Cardinali Nerio Corſinio, a CLEMENTE XIII. in ampliſſimum Purpuratorum Patrum Senatum cooptatus eſt. Atque utinam ei diutius vita frui licuiſſet, ac magis brevitati in hac contexenda Hiſtoria conſulere voluiſſet. Sic enim haberemus non paucorum ſæculorum, ſed omni, aut ſaltem magna

gna

gna ex parte perfectam Historiam. Præterquamquod, ut bene apud Ciceronem dicitur, nihil est in Historia pura & illustri brevitate dulcius. Sed si caussam quærimus, cur Ursius sæpe redundans & superfluens extiterit, hanc fortasse veram reperiemus, quod omnibus familiaris esse voluerit, ac vulgi in primis utilitati servire. Profecto legitur ab omnibus opus hoc, cujus rei non mediocre est illud indicium, quod paucis annis ter typis impressum est. Et hoc quoque in ejusdem operis laude ponendum, quod Hispania patrium in sermonem conversum illud suum fecit; quodque in Germania non defuere, qui idem magna ex parte Latine reddiderunt. Primum & vigesimum volumen inchoaverat Ursius; cumque Historiam ad tempora Gregorii Magni perduxisset, ab eoque depulisset falsam assentationis criminationem, in morbum incidit, quem neque mortiferum, neque gravem initio medici judicarunt. Hi tamen veriti ingravescentem ætatem, debilitatamque valetudinem assiduis ac diuturnis legendi, meditandi, scribendique laboribus, ægroto imperarunt, ut ad omnem eventum sacris se muniret.

Qui-

Quibus cum libentissime paruisset; essentque omnes magna in spe fore, ut brevi convalesceret, subito eum febris corripuit, quam cum gravius peripneumoniæ genus consecutum fuisset, horarum spatio non amplius octo mortem cum vita [fidenter sane, ut solent ii, qui optimæ mentis conscientia sustentantur] commutavit. Extremo vitæ tempore perbreve testamentum fecit, quo rem familiarem domesticis, Bibliothecam Florentino S. Marci Cœnobio, sacram suppellectilem certis quibusdam Templis reliquit. Eidem morienti adfuit Joannes Bottarius, quocum a condiscipulatu vixerat conjunctissime, eique, quod inchoaverat XXI. Historiæ volumen, perficiendum commisit: quod ni vellet, ederet saltem quæ pro defensione S. Gregorii scripserat. Talis fuit vir, ut si mores spectes, nihil præ se nisi grave, probum, purumque tulerit; si doctrinam, dogmatum Christianorum defensor egregius, ac vindex judicari possit. Custos perfectioris disciplinæ severus, sed ita temperatis moribus, ut summa severitas summa cum humanitate jungeretur. Ex quo fiebat, ut facillimi ad eum essent

adi-

aditus, ac nemini opis ejus indigenti, si modo illam præstare posset, non libentissime & promitteret, & concederet. Veritatis adeò diligens, ut nihil ultra. Parce uti consueverat verbis, quod indicium erat hominis cælestia, resque alias altissimas perpetuo contemplantis. Tanta eum cura occupabat studiorum suorum, ut interdum videretur sui oblitus, ac sæpe cogeretur in iis rebus gerendis, quæ suorum munerum erant, uti fidis peritissimisque adjutoribus. Ut laudis, ita & reprehensionis, omniumque rerum humanarum fuit contemptor eximius. Huic justa funera confecta in Templo S. Mariæ ad Minervæ. Corpus vero deportatum ad S. Sixti, cujus titulum ipse gerebat, ibique conditum in sepulcro, in quo hoc scriptum est elogium.

D. O. M.

JOSEPH AUGUSTINUS URSIUS FLORENTINUS
ORDINIS PRÆDICATORUM
S. R. E. PRESBITER CARDINALIS TIT. S. SIXTI.
INTEGRITATE MORUM CONSPICUUS
ET EDITIS SCRIPTIS PRÆCLARUS
HIC REQUIESCIT IN PACE
VIXIT ANNOS LXIX. M. I. D. III.
OBIIT EIDIBUS JUNIIS A. S. MDCCLXI.

OPERA EDITA.

DISSERTAZIONE Dogmatica e Morale contro l' uso materiale delle parole &c., opera del P. L. Fr. Giuseppe Agostino Orsi della Congregazione di S. Marco di Firenze dell' Ordine de' Predicat. Dedicata alla S. di N. S. Bened. XIII. del medesimo Ordine. In Roma 1727. nella Stamperia di Girolamo Mainardi. in 4.

LA CAUSA DELLA VERITA' sostenuta contro l' anonimo Apologista del P. Carlo Ambrogio Cattaneo della Compagnia di Gesù: opera del Rev. P. L. Fr. Giuseppe Agostino Orsi dell' Ord. de' Pred. In Firenze 1729 in 4.

DIMOSTRAZIONE TEOLOGICA colla quale si prova, che ad effetto di conciliare i dritti della veracità colle obbligazioni del segreto, nè si può, nè si deve ricorrere ad alcuna di quelle leggi, che alcuni moderni Teologi all' umana Repubblica attribuiscono, ma che deesi stare alle regole da' SS. Padri Agostino e Tommaso per un tal fine prescritte: opera del &c. dedicata alla S. di N. S. Benedetto XIII. In Milano 1729. per Giuseppe Richino Malatesta, in 4.

DISSERTATIO APOLOGETICA pro Ss. Perpetuæ, Felicitatis, & Sociorum Martyrum Orthodoxia adversus Samuelem Basnagium, Auctore R. P. Fr. Josepho Augustino Orsi O. P. Florentiæ ad S. Marcum Sac. Theologiæ Lectore. Accedit Francisci Castilionensis Martyrium Antonianum, seu B. Antonii de Ripolis Ord. Præd. ab eodem Ursio notis illustratum. Florentiæ 1728. typis Bernardi Paperini, in 4.

DISSERTATIO HISTORICA, qua ostenditur Catholicam Ecclesiam tribus prioribus sæculis capitalium criminum reis pacem & absolutionem neutiquam denegasse, & plures aliæ incidentes quæstiones ad eorumdem temporum Chronologiam Ecclesiasticam pertinentes quibusdam digressionibus data opera examinantur; Auctore &c. Mediolani 1730. apud Josephum Richinum Malatestam, in 4.

DISSERTATIO THEOLOGICA de Invocatione Spiritus Sancti in Liturgiis Græcorum & Orientalium, Auctore ec.
Medio-

Mediolani 1731. apud Josephum Richinum Malatestam in 4.

DISCORSO sopra il giuramento prestato dai Vescovi del Piemonte alla Maestà del Rè di Sardegna Carlo Emanuele. Extat in fin. tom. 1. par. 2. libri, cui titulus = *Delle Ragioni della Sede Apostolica nelle presenti controversie colla Corte di Torino*. 1732. =

VOTO TEOLOGICO intorno alle cause, per cui uno può essere privato del Vescovato.

DE BAPTISMO IN NOMINE JESU CHRISTI; & de Hæreticis qui Baptismi formam olim adulterarunt, Dissertatio Historica in duas partes divisa, Auctore F. Josepho Augustino Orsi Ord. Præd. Cathedratico Casanatensi, et Sac. Cong. Indicis Consultore. Mediolani 1733. apud Josephum Richinum Malatestam in 4. In hoc libro extat quoque

DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA de Chrismate Confirmatorio.

ORATIO de B. Catharina de Ricciis Moniali Tertii Ordinis S. Dominici, habita Romæ in Templo S. Mariæ super Minervam ad Eminentissimos & Reverendissimos Cardinales a F. Jo. Aug. Orsi Ord. Præd. Romæ 1733. ex typographia Hieronymi Mainardi in 4.

FR. JOSEPHI AUG. ORSI. O. P. e Congreg. S. Marci S. Theologiæ Mag. de Petri a Soto ejusdem Ordinis, et Judoci Ravesteyn de concordia gratiæ & liberi arbitrii cum Ruardo Tappero Epistolari disputatione, liber Apologeticus, quo Soti doctrina a recentis Historici censuris adferitur. Romæ 1734. typis Hieronymi Mainardi, in 4.

VINDICIÆ Dissertationis de Baptismo in nomine Jesu Christi a Sorbonici Doctoris objectis. Florentiæ 1735. ex Typograph. Petri Cajetani Viviani, in 4.

F. JOSEPHI AUGUST. ORSI. O. P. Sac. Indicis Congregationi a Secretis de irreformabili Romani Pontificis in definiendis Fidei controversiis judicio adversus quartam Cleri Gallicani propositionem ab Illust. J. B. Bossuetio Meldensi Episcopo propugnatam Tom. I. Pars Prima. Romæ 1739. Typis Sac. Congreg. de Propaganda Fide. in 4.

TOM. I. PARS SECUNDA. Eundem præ se fert titu-

titulum. *Accedit Dissertatio circa modum ab illustrissimo Petro de Marca propositum conciliandi summam ejusdem Romani Pontificis auctoritatem cum libertate suffragiorum in Synodis Oecumenicis*.

TOM. II. Similem omnino prioribus habet titulum.

F. JOSEPHI AUGUSTINI ORSI O. P. Sac. Ind. Cong. a Secretis de Romani Pontificis in Synodos Oecumenicas & earum Canones potestate. Romae 1740. *Typis Sac. Cong. de Propagan. Fide*. Extat in fine hujus voluminis Dissertatio qua Ecclesiasticæ Monarchiæ forma, seu ratio explicatur, unde clare ac dilucide constat, sit ne Romanus Pontifex Ecclesiæ legibus subjectus, nec ne sit; quove sensu id affirmari vel negari commode possit.

DELLA INFALLIBILITA', E' AUTORITA' del Romano Pontefice sopra i Concilj Ecumenici Ristretto di un opera sopra lo stesso argomento di F. G. A. Orsi dell' Ord. de' Pred. S. D. S. C. D. I. Tom. I. e II. in Roma 1741. *Nella Stamperia de' Pagliarini in* 12.

DELLA ORIGINE del dominio, e della sovranità de' Romani Pontefici sopra gli stati loro temporalmente soggetti, Dissertazione di F. G. A. Orsi dell' Ord. de' Predic. S. D. S. C. D. I. in Roma 1742. *appresso i Fratelli Pagliarini, in* 12.

RISTRETTO delle Vite dei primi Discepoli di S. Domenico scritto in lingua Francese dal P. Antonio Touron dell' O. de' P. e tradotto nell' Italiana favella da un Religioso del medesimo Ordine. In Roma 1744. *appresso Nicolò e Marco Pagliarini, in* 8.

ISTORIA degli Uomini illustri dell' Ordine di S. Domenico scritta in lingua Francese dal R. P. Antonio Touron, e tradotta nell' Italiana favella da un Religioso del medesimo Ordine Tom. I. in Roma 1745. *Nella Stamperia di Pallade appresso Nicolò e Marco Pagliarini*.

DELLA ISTORIA ECCLESIASTICA descritta da F. Giuseppe Agostino Orsi dell' Ordine de' Predicatori &c. Roma nella Stamperia di Pallade. Tom. XXI. in 4. *e in* 12.

